



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis De Literatorum Infelicitate. Libri Duo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

JOANNIS PIERII  
VALERIANI BELLUNENSIS

*De*

LITERATORUM  
INFELICITATE.  
LIBRI DUO.

Pp

JOAN-



# JOAN. PIERII VALERIANI

DE  
LITERATORUM INFELICITATE,

Liber Primus.

**Q**um proximis diebus famâ, de Clementis Septimi, Pontificis Maximi, obitu vâ-  
nis rumoribus evagatâ, Hippolytus, & Alexander, nepotes ejus, Romam ex-  
peditissimis itineribus protecti essent; lentius ego cum comitatu domestico sub-  
secutus, postero quàm in urbem ingressus sum die, nihil antiquius duxi, quàm  
Gasparem Contarenum, Oratorem Venetum, invisere; quem virum ingenio,  
doctrinâ clarissimum à primis adolescentiæ annis assidue culueram. Verum  
accidit, ut eo ipso die, quo domum ejus accesseram, ipse piæ rei causa septem sacrosanctâ  
Divûm pulvinaria supplicaturus inviserit, erant enim lustrici dies, quos antiquitus duxi, quàm  
dragenos purificationi consecravim nostrâ pietas. Vixque pulsatis foribus herum domi non  
esse, & eò profectum responsum acceperam, iterque simul ad Petrum Melinum, illis ædibus  
haud procul habitantem, verteram, cum amici jucundissimi Laurentius Grana Siginorum An-  
tistes, & Angelus Colotius incomparabili probitate vir, Græcè, & Latine doctissimus, mihi  
obviam facti sunt, quos cum salutassem, & quò tenderent, interrogassem, ad rarissimum hunc,  
ædes indicantes, virum vultu admodum hilari responderunt. Quibus ego, frustra inquam,  
hodie huc accessistis: nam ego quoque eum salutaturus huc adveneram; verum eum dome-  
stici pulvinaria septem invisisse ajunt; quare nulla reliqua sit spes, ut hominis conspectu ho-  
die fruamur. Sed quid obsecro negotii vobis apud illum est? quamquam insulse me hoc in-  
terrogare sentio, qui probatissimos, literatissimosque viros perconter, quid illis negotii sit a-  
pud omnifariæ Principem eruditionis. Certè, suscepit Grana, poterat ex te conjicere, quid  
acturi veneramus; quippe nulla aliâ de causa, nisi ut ab ejus congressu beatiore quodam-  
modo disceremus; quod & semper contigit, & heri, & nudius tertius maxime beati viri fu-  
imus, cum magno nos errore liberavit, qui literatos omnes ad ærumnas, & infelicitates na-  
sci, hoc præfertim tempore, suspicari cœperamus: eam ille opinionem sapientissimâ disputati-  
one sustulit, & ne nos horum studiorum usque adeò pœniteret, effecit. Hic ego, Gramam nun-  
quam neque temerè, neque fictè loqui solitum, longâ doctus consuetudine augurari cœpi,  
sermonem eum ex eo genere fuisse, quod Patavii trigesimo abhinc anno in Contarenorum æ-  
dibus, nunc apud ipsum Gasparem, nunc apud ejus patruelem Marcum Antonium Flavum,  
interdum etiam apud Andream Navagerium, sæpè solitum conferi memineram; cujus re-  
cordatione incensus, obsecro inquam, mi Grana Pontifex, & tu Coloti, nequaquam mihi  
sermonis istius, quo vos à Contareno beari asseritis, explicationem invidetis, ut hinc mo-  
rorem leniam, quem ex non invento Gaspare concepi. Hic Colotius.

Jamdudum enim, ex vultu animadvertēbam, erumpere gestiebat, sed Pontificis, qui lo-  
qui cœperat, reverentiâ subicebat. Quem, inquit, sermonem quaris Pieri, nisi quantum  
ad nos pertinet, calamitosum, miserum, & infelicem; quantum verò ad Contareni sapientiam  
spectat miseriarum omnium medelam, & allevationem. At cujusmodi tandem fuit, inquam;  
quam



quam diu me ejus desiderio torquebitis? Dicemus, inquit Colotius, ut etiam pro Pontifice Grana loquar, & totius rei seriem, unde orta est, & quo pacto processit, memoriter explicabimus: cupimus enim tuum hoc explere desiderium. Sed enim, quia platea hæc Agonalis tam longæ repetitioni incommoda est, posita è regione Melinas ingrediamur ædes; atque ibi sedentes in Petri nostri cryptoporticu, rem ipsam ab ovo tibi recitabimus. Optimè, inquit Grana; quò enim libentiùs Contareni exclusi colloquio divertamus? Opportunissimè, inquam ego: nam quia Contarenum domi non offenderam, ad Melinum rectà redibam. Hic Colotius sublata cum ore manu, ò Geniorum inquit, vim, atque concordiam! ò semper unanimes, quos idem afficit studium! nam rebus etiam agendis spectrum idem eodem invitat tempore, & quod antiquissimus ait Poëta: ἀγχι θεός τῶν ὁμοίων πρὸς τῶν ὁμοίων. Sed ecce vobis Melinum à limine nos invitantem; in tempore omnia. Cum igitur ingressi essemus, & Melinus scamna afferri jussisset, nosque adsedissemus;

Quorū, inquit Melinus, vobis iter erat, aut qui vos mihi jucundissimas animas casufve, consiliūve, in unum coëgit? ad te inquit Grana, divertimus, posteaquam Contarenum, ad quem sermonem hesternum continuaturi accesseramus, domi non inveneramus. Rectè suscepit Melinus, sermonis hesterni mentionem Pontifex tecisti. Nam hodie vestrum aliquem ardentissimè cupiebam, quem percontarer, quique rem omnem mihi pernarraret; siquidem in hoc ipso limine consistenti mihi heri admodum vesperi Joannes Antonius Pollio ex æquo summam complexus erat, sed quia festinandum illi erat ad Pontificem Maximum, ut cænant adfisteret, diutiùs mecum morari non potuit, mihiq; meo unius commodo illi esse incommo- dum religio fuit. Ajebat autem se interfuisse sermoni vestro, & ita me unà tantum scintilla incenderat, ut noctem hanc præ desiderio inquietiorem habuerim, eramque nunc puerum ad aliquem vestrum misturus, quando ipse ad vos accedere non poreram: nostis enim quæ me de causa contineam domi, quique hostes clam capiti immineant meo; sed agite jam, quicquid illud fuerit, explicate. Dicam, exceptit GRANA, & primus dicam, quia me nuper, ut ad te irem, per chirographum invitatas, & Colotius ex itinere festus est, ab hortis enim suis, expeditibus etiam laborans, huc venit. Accesseramus heri ad Contarenum Colotius, & Joannes Antonius Pollio mecum; quòd quidem per hos dies, quibus Princeps gravi adeò valetudine ducubuit, otiosorem hunc nacti, frequentius feceramus; multaque inter alia de literis, & literatis per unamquamque ætatem percurreramus. Ad hæc quæsitum à declinatione Imperii Romani, quam ætas literis magis florere visa fuerit: neque ulla comperta est, quæ tempori nunc elabenti anteferenda videretur. Tam clari octuagesimo abhinc anno viri extiterunt, qui certare cum antiquitate, alii eruditione, alii ingenio, alii eloquentiâ, comperiuntur. Cumque deventum esset ad eorum nomenclaturam, urbes aliæ vix unum, aut duos, aut tres ad summum habuisse deprehendebantur, quos in hoc album referre congruum videretur; urbem autem Romam, utpote communem orbis totius patriam, ita literatorum copiâ fertilem, & abundantem intuebamur, sive ipsa suos ostentaret, sive peregrinos gremio susceptos aluisse, & inter suos fovisse gloriaretur; ut in ea ipsa demum per annos aliquot major literatorum proventus fuerit, quam in reliqua universa Italia. Quo constituto, interrogavit POLLIO Contarenum, an eo ipso judicio esset, & qui multorum mores hominum cognovisset, urbesque, & nationes varias perlustrasset ita, necne esse comperisset. Quo ita quidem esse affirmante, quæsitit insuper ex eo, quantum Romanis delectaretur ingeniis, quem usum, aut fructum ex eorum consuetudine perciperet. Hic CONTARENUS profundissimo suspirio ducto, nullum me cupierim, occasionem aliquando mihi dari Romam invifendi, ut quæ hic florere ingenia omnium prædicatione acceperam, præsens inspicerem; & optatissimâ eorum fruerer consuetudine. Accidit autem superiore anno, ut vix ad Senatum meum retulerim de iis, quæ in Hispana legatione apud Carolum Cæsarem gesseram, cum me partes, civisque mei, Legatum ad Pontificem summum destina-  
narunt:



narunt: quod quidem munus, & si alienissimo tempore mihi demandatum intelligebam, turbantibus non totius modò Italiae, sed orbis universi rebus, & Pontifice ipso, qui ex arce Aelia profugerat, propemodum extorre: in eam tamen erectus spem, ut vel suâ ipse providentiâ motus, vel meo, & aliorum consilio persuasus, ad sedem suam, sedatis aliquando Romæ rebus, reverteretur, atque ita Romam videndi causa, & opportunitas mihi concederetur; aliquanto hilarius provinciam suscepi. Pontificem itaque, cum Romam revisere constituisset, subsecutus sum. Sed is statim gravissimo, quo affectus est morbo, magnâ nos identidem sollicitudine affectit; quam ut quoquomodo lenire conaremur; quoniam Principe tam malè affecto nullus erat negotiis neque publicis, neque privatis locus; eò me converteram, ut vestrorum ingeniorum cognitione, consuetudineque me oblectarem. Sed bone Deus, cum primum cæpi Philosophos, Oratores, Poëtas, Græcarum, Latinarumque literarum professores, quos in Commentario conscriptos habebam, perquirere, quanta, quamque crudelis tragedia mihi oblata est, qui literatos viros, quos me visurum sperabam, tanto numero comperiebam miserabiliter occubuisse, atrocissimaque fati acerbitate sublatis, indignissimisque affectis infortunis, alios peste interceptos, alios in exilio, & inopia oppressos, hos ferro trucidatos, illos diuturnis cruciatibus absumptos, alios, quod ærumnarum omnium atrocissimum arbitror, ultro sibi mortem conscivisse. Quæ quidem tot excellentium hominum calamitates, primo eo impetu, quanto me dolore affecterint, vix unquam fando explicare possem. Quòd nisi vos saltem, & paucissimos alios comperissem, meæ me istuc profectiois, meique hujus invivendi Romam studii pænitere jam occiperat. Hic POLLIO Contareni secutus argumentum; Miserum inquit, & lamentatione dignum est, non inficior, tot claros literaturâ viros Romæ jam brevi temporis curriculo, & quod infelicius est, miserabili ferè omnes mortis genere defecisse. Sed hujusmodi clades, quo majori numero editæ sunt, eò sunt detestabiliores. Longè igitur miserius, atque stebilius est, per universam etiam Europam ætate nostra bonas literas ita factorum inclementiâ vexatas, ut nulla jam provincia sit, civitas nulla, nullum oppidum, in quo quadragesimo abhinc anno non aliqua insignis calamitas in hoc hominum genus incubuerit. Ita nostro seculo tempestas hæc in optimos quosque effusa est, atque ad eò non nostras tantùm regiones, sed & universum terrarum orbem, omnifariæ doctrinæ luminibus orbavit. Videtis enim, auditifque passim bonos omnes indignissimis ærumnarum omnium casibus afflictos, paucissimosque admodum enumerare possumus, qui felici usi vel vitâ, vel senio, leniori mortis genere occubuerint; & ut vera vobis fatear, quoniam hæc iniquioris fortunæ tela literatos præcipuè conficere videntur, quamvis ego horum hominum industriam, & virtutes unicè amem, observemque, eorum tamen offensus damnis, ærumnosissimum rerum omnium arbitror scire literas.

Ætate autem nostrâ boni omnes perpetuâ quadam calamitate exagitati, aut vitam, aut mortem fortiti sunt infelicissimam. Nam eos tantum ante oculos mihi propono, quorum, dum viverent, virtus nobis in conspectu clara, celebrisque fuit; quorum si vitam, aut exitum memoriâ repetamus, omnes ferè vel insuaviter vixisse, aut vitâ miserabiliter decessisse comperiemus.

Et ut ab optimis incipiam, Hermolaus Barbarus Orator, Senatorque vester optimus, Contareni, vir, quod omnes fatentur, ætate suâ literatissimus, eo ipso tempore, quo aliquam studiis suis quietem se adsecutum arbitrabatur, dum Romæ apud Alexandrum Sextum, Pontificem Maximum, Venetæ nobilitatis nomine Oratorem agit, summisque vigiliis intermortuum bonarum literarum, neque non & disciplinarum gloriam suscitavit, ob susceptum inconsulto Senatu suo Aquilegiense sacerdotium, exsul factus, & de possessione ejectus, vitam inopem aliquandiu traxit, Alexandri Pontificis summi sportulâ quodammodo sustentatus, paucis vero post mensibus pestilentia contactus, desertus ab omnibus, infelicissimo mortis genere oppressus est: quique laudatione, & eloquentiâ suâ innumeros ætatis suæ homines illustraverat, & su-



& funere, & honore sepulchri ita defraudatus est, ut ubi sepultus, quove hominis cadaver coniectum fuerit, ignoretur.

Proximis autem diebus Christophorus Marcellus, ut nostri ordinis homines percurrat, singulari vestri patriciatus ornamentū, quo ingenio, qua doctrina, qua eloquentia, qua in super morum integritate vir, ipse quoque; longè aliā fortunatā, atque ejus pietas, & dignitas postulabat, indignissimoq; tali probitate, & eruditione exitu surreptus est nobis. Primarius enim Corcyrensiū Flamen Clementi nostro, Pontifici Maximo, ob egregias has animi dotes acceptissimus, dum in dies longè amplioribus ab eo honoribus honestandus est, in proximam incidit Romanarum rerum calamitatem, ex qua ab Hispanis, qui nuper urbem Romanam clam aggressi captam diripuerunt, in captivitatem ipse abactus, bonis & suis, & suorum omnium expoliatus, quæ immanissimorum hominum, Italici nominis odio, crudelitas fuit, multis affectus tormentis, cum intolerabilia, quæ illi flagitabant, tributa solvendo non esset, perditisq; rebus omnibus, qua se spe, vel cujus auxilio, & ope sustentare posset, non haberet, Cajetæ animam miserabiliter exhalavit. Ajunt enim Hispanos, posteaquam se auri, quod poposceraut, spe dejectos intellexerunt, clarissimum hunc virum catenam religatum, nudum sub Dio ad arboris cujusdam truncum exposuisse, singulisq; diebus digitos ejus singulos exungulasse, eumque ita demum inter atrocissimos eos cruciatus, fame insuper, & vigilia, & diurni nocturnique aeris inclementiâ necatum.

Camillus Portius, ut meos quoque cives, in scenam hanc ducam, quantæ fuerit celebritatis, ignoret nemo, sive ille Romanam Cathedralam magno omnium stupore, & admiratione decoraret, sive pro rostris declamaret, ut nihil ejus dictione suavius, nihil jucundius, nihil expolitius haberetur. Is tamen simulac ab Leone Decimo Pontifice Maximo Aprutinæ est Ecclesiæ præfectus, acerbissimâ diuturni cujusdam morbi, nulli medicorum cogniti, correptus inclementiâ, postquam miserabili cruciatus menses plurimos decubuit afflictatus, morbi demum ejus truculentia, & totius corporis doloribus oppressus, virente adhuc ætate animam egit, incredibili apud omnes sui relicto desiderio.

Neque Marci Musuri sortem quisquam latam dixerit; qui licet & Patavii, & Venetiis apud nobilitatem vestram summâ omnium commendatione, & gratia complures annos Græcæ literas docuisset, & doctrinæ nomine ab Leone Decimo, Pontifice Maximo, duplici flaminis honore decoratus, à Julio, ejus pontificis fratre, tunc Cardinali sacerdote, qui nunc est summus Pontifex, in amicitiam susceptus, magnâ omnium dilectione coleretur, nescio qua tamen animi mæstitiâ, elam exulceratus, ut qui non modò non dignitatem ullam, aut beneficii commodum in eo vitæ colore duceret, qui hominum opinione judicatur amplissimus, sed sibi summâ in libertate versari solito, summam etiam deformitatem, & miseriam arbitraretur, in occultum ex ea cura incidit morbum; cujus nulli Medicorum causâ cognitâ, interque tacitas anxietates, miserimasque fortunæ suæ deplorationes diutissime vexatus, expiravit. Hæc cum verbosius fortè, quam tanti viri reverentia postulabat, ore excidissent, utque importunitati meæ veniam daret, postulassem: Immò perge, ait Contarenus, & si qua hujusmodi exempla habes, quæ infelicia putes, omnia profer in medium. Hic ego audentior factus, Quid inquam, unquam latabile habuit Hadrianus Cardinalis Cornetanus, emunctissimæ latinæ auctor, beneficio Alexandri Sexti Pont. Max., cui fuerat à secretis, ad id honoris evectus, sub Julio Secundo Pont. Max. mox exul factus, & acerbissimis percussus edictis, annos aliquot in Germanicis Rhetorum alpebus obscurâ, & fordida peregrinatione delituit. Defuncto mox Julio, eique Leone suffecto, profanissima in talem Principem conjurationis conscius fuit, qua patefacta, veniâque ab humanissimo Pontifice impetratâ, diplomateque absolutionis accepto, suæ stimulo conscientie exulceratus, noctu clam fugam arripuit, neque quò abierit, neque ubi sit, quatuordecim jam annorum spatio quisquam potuit explorare. Constans tamen opinio est, eum insuto in interiorem toracem auro oneratum, comitis famuli perfidiâ oppressum, auroque surrepto cadaver in solitarium aliquem locum abjectum occultari. Huic exemplo non absimili adjiciendus est Alphonfus Petrucius



cius, Pandulphi, qui Senas quam diu vixit, quietâ semper dominatione reſerat, filius, Græcis, Latinisque literis à Severo Monacho non leviter eruditus, à patreque ob ingenium ad diſciplinâ aptum ſacerdotio deſtinatus, ab Julio II. Senatoriâ purpurâ, Cardinaliſque pileo decoratus. Is puer admodum à Borgeſio germano fratre, jam tum puero, & paternâ adminiſtrationi aſpirante cultro impetitus parum abſuit, quin ad vitæ perniciem jugularetur. Nam ſædam in gutture cicatricem diſſimulare nunquam potuit. Ubi adolevit, & in ſacro Senatu Romæ Rempubliſcam adminiſtrare cepit, Leonis Decimi tempore rerum Senenſium ſuſpicionem alienatus à Principe, ſædiſſimæ illi conjurationi, quæ in Leonis vitam facta eſt non ſolum interſuiſſe, verum etiam præſuiſſe delatus eſt. Quâ detectâ cum ipſe captus, & in carcerem conjeſtus, convictusque ſcleris eſſet, in Hadrini mole, nondum octavum, & vigefimum ætatis annum excedens, fracto gutture ſublatus eſt. Sed enim, ut in hoc fortune ludibrio nihil ulterius quaeramus, Leo X. Pont. Max. nullo non doctrinâ genere inſtitutus, Græcis, Latinisque literis optimè eruditus, acerrimique judicii vir, & ſeu ſolutam orationem ſcriberet, ſeu carmen pangeret, laudem in utroque meritis infeliciter inſidias evaſiſſe fortè videatur, qui vix dum ex juvenia egreſſus ad Pontificatum ſummo gradu, auctoritate, & opibus florentem, eveſtus ſit. Sed ſi quis etiam præteritis iis, quæ antea cæcâ ætate pertulerat, exilio, egeſtate, peregrinatione, captivitate, & innumera bilibus aliis ærumnis, ea tantum inſpexerit, quæ Pontifex aſſidue perpeſſus eſt, maxime vereor, ne hunc inter literatorum infeliciffimos ſtatuat, qui vitam omnibus fortunæ telis oppoſitam habuiſſe videatur. Is enim, ut à domeſticis, & in proprio corpore ſævientibus incommodis ordiamur, ſuppurationis quodam in ſede morbo, quo ferè ſemper laboraverat, nullam unquam horam neque diurnam, neque nocturnam quietem habuit, dilectiſſimarum mox fororum morte exulceratus, immaturo Juliani fratris, quem tanquam oculos ſuos amabat, obitu, mox & unici nepotis, Petri fratris germani filii, jam tum Umbriæ Ducis, jam Francorum Regis aſſinitate dignitati vulnere lethali ſub obſidio ne cujusdam caſtri accepto, ad vitæ uſque deſperationem adducti, paucisque poſt menſibus ex diuturnâ, qua computruerat elephantia ſic florida ætate abſumpti, funere graviter contriſtatus, conjurationibus demum multorum, atque etiam intimorum, in vitæ diſcrimina non ſemel adductus. In graviſſimum inde bellum adverſus Gallorum Regem attractus, non ſolum ærarium exhaustiſſe, verum & patrimonium oppignoravit, ſuiſque jam deficientibus, & ferè totas amicorum opes abſumpſiſſe: tum immaturâ præventus morte, cum bellum jam Julii Cardinalis fratris virtute conſici poſſe ſperare cæperat, ſubitaneo, brevique morbo exceptus, interturbata, ſubverſaque omnia dereliquit. Quodque longè infelicius bono Principi fuit, ab obitu cum maledicentiſſimis omnium libellis inſamatus eſſet, in Senatu toties de nomine, deque actis ejus abolendis per adverſæ factionis hoſtes acutatum. Quod nulli antea Pontifici poſt obitum acciditſe neque legimus, neque meminimus. Adde omnium ferè literatorum amicorum querelas, qui tranquillitatem ſub literato Principe ſibi quiſque ſuam propoſuerat, cum ea decepti ſpe, vix duobus, aut etiam altero ad ſummam exceptis, in miſeria, calamitate omnes deſtituti jacuerint. Hic tacuerat Grana, quaſi aliorum, ſiqui memoriæ ſuccurrerent, caſus meditaretur: tacebant & alii omnes, dum unusquisque magnum fortune ludibrium in Leone ſecum taciti meditantur: tantum, talemque Pontificem ad bene de univerſo humano genere promerendum, genitum, eo ipſo tempore interceptum, ſuſpirantes, quo, ſi paululum ſuper viſiſſet, facile omnium deſideria fuerat expleturus, cum POLLIO natus ex omnium ſilentio occaſionem, ita ſubjecit. Poterat quidem, GRANA, fors Leonis Decimi, ſi quis æquè rem perpendat, locupletiffimum humanæ infeliciter exemplum eſſe, ſed tua hæc Pontificum tot tam ſummorum, quam inferiorum, commemoratio admonuit me Jani Quinqueeccleſienſis Antiliſis, quem quia vobis ignotum arbitror, qui res Pannonicas haud ita fortè curaveritis. quia tamen is vir admodum probus fuit, & literatum principatum in ea Provincia tenuit, quod mihi ſuperiore legatione meâ, à Leone Decimo demandata, ſatis exploratum eſt, inſignem quandam hominis calamitatem recitare à ſermonis, quem jam inchoavimus, ſerie alienum non erit. Nihil enim ejus morte miſerabilius, nihil ejus fortuna fuit unquam infelicius. Quippe is latinâ literas acquiſiturus, ab extremis usque Pannoniis in Italiâ transmigravit; Guarinum Vetonenſem non incelebrem eo tempore

Janus  
Pannoni-  
nius.



pore Grammaticum nactus, sub eo ita profecit, ut elegiarum scriptor non inlegans haberetur in patriam demum ad Matthiam Pannoniæ Regem se contulit; paucisque post diebus beneficentissimi in literatos omnes Regis voto Quinqueecclesiensi est ecclesiæ præfectus. Sed diebus multo post paucioribus vehementer quosdam expertus est invadere dignitati suæ, à quibus cum sædè calumniatus esset, Regi, viro alioqui optimo, sed nimirum credulo, suspectus adeo esse cepit, ut pro delato nuper honore vita hominis deposceretur. Quod periculum Janus cum impendere sibi perpexisset, fortunamque non solum adversam, sed funditus everfam intelligeret declinaturus Regis ferociam, speransque diem veritatis parentem meliora paraturam, apud amicum collegiatæ cujusdam ecclesiæ præpositum, instituit delitescere, ibique omnibus ornamentis, atque præfidiis privatus, iisque amissis, quæ erat maximis & laboribus, & vigiliis adeptus, miserabili solitudine ita contabuit, & plenus timoribus, & miseriis, nulli deinceps neque cognitus, neque visus, gravi, diuturnaque dysenteria vexatus, occubuerit. Clanculumque ab hospite in arcam pice oblitam inclusus, per duos ferme annos insepultus adservatus est. Neque perpetua tamen fuit Matthiæ Regis indignatio, qui aliquo post tempore, cum furor iste deferbuisset, de Jano demum cogitare cepit; mirificum enim huic successerat Jani desiderium, diuque de homine percontatus, cum inveniri nusquam reperisset, præmium etiam indici proposuit; forteque accidit, ut Rex ergo rei sacræ templum id inviseret, cui Jani hospes præfectus erat: qui ad Regis pedes accedens veniam prius deprecatus est, quod tanti Regis exulem apud se recepisset: quæ impetratâ, si vis inquit, ô Rex, Janum, tuum invenire, diatas nostras invadere ne graveris, ibi enim Janum apud me latitantem deprehendes. Nihil contactus Rex contiguas templo hospitis hujus aedes ingreditur, qui ostenso illi ligneo conditorio pice perlito, & in arce familiaris speciem fabrefacto: — Illic, inquit, Janus tuus jam biennium delitescit, & tui, & Regum omnium securus. Quare te obsecro, ut promissi præmii loco patiari tantum cadaver ejus, ut Præsulem decet, honorificè sepeliri. Conversum est Regis gaudium in apertissimam mæstitiam, atque misericordiam, & ædituo non tantum indulgit, ut Janum sepeliret, verum pro officio, & pietate, quam erga Janum exhibuerat, eum in ejusdem ecclesiæ, cui Janus præfectus fuerat, Episcopum surrogari procuravit. Eoque tunc demum tempore Janus Regis sui judicio honestatus est, quo nullo honorum sensu affici poterat, nulla rerum humanarum voluptate deliniri. Finierat Pollio, omnesque indignam infelicis Antistitis sortem miserari videbantur; erantque se nostris, qui cum lucubrationes hujus inspexissent, & industriam, & ingenium hominis haud improbarent. Tum ergo sermonem meum continuaturus. An non, inquam, inter calamitosæ fortis homines adnumerandus etiam est Franciscus Acolthis, Petri Cardinalis patrii beneficio Anconitanus Præsul. Namque is egregiæ indolis, & elegantis literaturæ juvenis, fatorum primum acerbitatem tunc expertus est, cum repentino de cælo tactus fulmine vestimentis ob os incensis, ita territus est, ut parum abfuerit, quin extingueretur; paulò post pestilentia illa correptus, quæ cum Adriano Sexto advecta Romam invasit, uti ejusmodi in contagione fieri solet, à clientibus omnibus derelictus, unius Benedicti fratris germani, qui nunc sacerdos Cardinalis est, ope, & officio sustentatus, qui pietatem erga fratrem, multis abhinc sæculis rarissimam professus, dum ejus morbum suis ipsemet manibus curat, cibum ministrat, ulceribus medetur, eadem ipse quoque mox peste contactus, nunquam abstereri potuit, quin operanti illi assiduam navaret: Francisco precibus identidem deposcente, ut abstereret, vitæque ille suæ parceret, quando ipse omnem salutis spem abjecisset; sævientem autem morbo paucorum dierum intervallo peremptus, magnam, quæ de profectu ejus excitata erat, spem cum omnium mœrore fessellit. Et ut à nostro demum ordine recedamus, nunquam Antonii Marostici sine dolore meminimus, quem vestra, Contarene, regio ad nos miserat, quem Colotius, quem docti omnes Romæ & amabant, & venerabantur: is dum apud Cardinalem Pisanum in honore habetur, & diu expectatam studiis suis quietem jamjam se somniat affectus, repentinâ epidemiæ contagione correptus, vix triduum tanto suffecit cruciatus. Mortuus igitur eo modo, eò afflictiore quam ceteri conditione fuit, quod pleraque ejus scripta, quæ vitam illi dubio procul reparatura erant, unâ cum reliquo instrumēto

Franciscus  
Acolthis.Antonius  
Marosticus.



*Rodericus Lusitanus* concrementa sunt, ut moris est, ad expurgandam morbi ejus contagiem. Rodericus verò Lusitanus summæ juvenis eruditionis, Mathematicarum scientissimus, quas non ut multi barbarè, sed vel Græcè vel Latine, idque castigatissimè profitebatur, miræ prorsus in docendo dexteritatis, & diligentia, Aegydius Cardinale in Hispaniis nactus, qui magnis de rebus ad Carolum Imperatorem Christiana pietate missus fuerat rarissimam hominis eruditionem, & sapientiam admiratus, eum in Italiam secutus, cum Romæ doctrinam suam propalasset, eruditorum omnium concursu frequentari cœpit, mox rebus tunc florentibus Romanâ cathedrâ honestatus in ea incidit tempora, quæ omnium calamitosissima semper appellabuntur, à latronibus enim Romæ vastatoribus malè habitus in ipso juventutis flore pestilentia, quæ statim in cladem illam incubuit, fertur absumptus. Invenit Colotius ad amici tam docti recordationem, & Pollio suspirio visus est eum desiderare, addiditque Contarenus se, & apud Venetos suos, & in Hispaniis celeberrimum hujus juvenis nomen audivisse.

*Hieronymus Carbo.*

Mox ego. Hieronymi autem Carbonis viri ex nobilitate Neapolitana summi gloria longè clarior est, quàm nostro possit crescere testimonio. Hic inter eruditissimos à Pontano celebratus, ab Aetio summè commendatus, doctissimis ingenii sui monumentis eruditorum de se omnium expectationem exararat. Neque tamen is, qui totum vitæ tempus bonis artibus impenderat, eandem hanc inclementiam fati potuit evitare. Siquidem gravissimo eo, & pestilentissimo anno, quo Roma toties direptionibus objecta est, in Neapolitano ille otio quietus, pestilentia oppressus infelicitè occubuit.

*Josiphon Samuelis.*

Hunc sequutus idem Petri Gravinæ exitus, cujus tam morum, quàm scriptorum elegantia nimirum exigere videbatur, ut qui per innocentiam, & laudabilem studiorum industriam vitam omnem exegerat, æquiore frueretur fato. Hic tamen ea correptus pestilentia, quam Hispani Romæ prædatores Neapolim intulere à carissimo quoque destitutus in eâ miserâ defecit. Addam his Josiphon Samuelis, quo Julius Secundus Pont. Max. assidue usus est Medico, filium, qui Philosphia, & Mathematicis impensissimam operam navaverat, literis Hebraicis sub ipso patre mirifice profecerat, neque patriâ eâ contentus eruditione, Græcæ etiam affectaverat, Latinas autem ita didicerat, ut & vorax, & proflax orationis candore, & elegantia, æquales omnes Romæ provocaret, æquumque cum universa juventute pedem ferret. Moribus ad hæc integerrimis præditus erat, ut nihil in juvene præter Christianæ pietatis cognitionem desiderares. Is autem iniquissimis, atque acerbissimis in præter Commodis, multisque jacturis, & bonorum suorum direptionibus, afflictus. Nam statim post patris obitum fortunas suas eò dissipari sensit, quo paternus servus arcâ ejus nummariâ perfractâ multis nummorum aureorum millibus surreptis, Byzantium usque profugit. Eum subsecutus Josiphon non modo exclusus est à portu, profugioque omni, sed etiam injuriæ vulnere confossus, quod à mendacissimo eodem furari servo pro Pontificis Romani exploratore delatus, ægrè vitam à Turcarum crudelitate defendit. Re demum infectâ, fortunâque modis omnibus eâ peregrinatione miserabiliter afflictâ, Romam se receperat, cum ecce haud multos post annos calamitosissima Romæ tempora accidere. Ita ille sceleratissimo latrocinio expoliatus, captus, excruciat, quæ temporis illius tuere miserima quæque perpeffus est, cumque à latronibus quatuor die noctuque custodiretur, qui magnum ab eo pecuniarum vim efflagitabant, intempestâ nocte custodiis somno vinoque sepultus, unam interiorem lini indutus tunicam, nudis pedibus incedens fesellerat, & Tybur versus arrepto itinere & in agrum relegatus, ubi tuguriolo augustissimo contactus, cum neminem haberet, qui vel aquæ haurtum subministraret, miserima fame, siti que potiùs, quàm morbi truculentia superatus interit. Commemorare autem vobis plerosque alios possem, qui adeò hac tetra labe contabuerunt, sed mihi succurrunt alii vel ferro, vel violentiori aliquo mortis genere exanimari, quorum sortem nemo non miserabilem arbitretur.

*Hercules Stroza.*

Hercules enim Stroza tam generis, quàm ingenii nobilitate clarus, Poëta nostro tempore non incelebris, quàm luctuoso nobis ereptus funere? dum enim ab amici cana noctu se domum reciebat



piebat, Ferrariae, urbe patria, in latronum incidit globum, contra quorum impetum crudelissimum salutem suam defendere non potuit, statimque multis acceptis vulneribus, virenti adhuc atate vitam indignantem multo cum sanguine fudit. Neque unquam, qui vim attulisset, inventus est, nisi quod potentiorum inimicitias suscepisse ferebatur. At Joannes Regius Venetus sub Alexandro Sexto Palatinus Bibliothecarius, vir dubio procul & Graecè, & Latine doctissimus, dum studiis bonarum artium operam navat indefinentem, suasque res tantum agit, iniquissimo Alexandri Sexti tempore in arcano proscriptorum albo positus, dum bona ejus appetuntur Viterbii, quò se valetudinis causa receperat, veneno sublatus est. Scripta ejus in Plutarchum plurima ab iis, qui alienè invidiant gloriae, suppressa partim evanescere, partim furibus peperere. Codrus autem Urceus Ravenas, multa variaeque doctrinae vir, eruditissimis plerisque scriptis, quae nunc editae sunt, omnibus innotuit. Is quoque sanguinaria peremptus est morte, ab adversa factionis latronibus fœdissime trucidatus.

Noster autem Mutius Aurelius Mantuanus, magno, & eleganti juvenis ingenio, linguam prius nostri temporis Italicam scribendo exercuit, mox Latinam affectans jam adultus, brevi admodum temporis curriculo magnum Poëtam professus est; quam juvenis promptitudinem admiratus Leo Decimus Pont. Max., ne tali deesset ingenio, arcem eum Mondulphicam praefecit, quem locum Aurelius studiis suis necessaria ubertim suppeditarum arbitrabatur. Prioribus itaque dimissis jocis, lususque, quibus in adolescentia sese oblectaverat, majus jam conceperat argumentum, & Porcenam Heroico celebrare occæperat. Vix pauculos nescio quot menses in eo vixerat otio, cum per multos dies à domesticis desideratus, in puteo demum quodam aquae profundissimae & ipse, & ejus mula reperti sunt exanimati. Eandem fatorum inclementiam expertus & Paulus Bombasius Bononiensis, qui Latinas, Graecasque literas Neapoli summa cum laude publice professus, à magnae celebritatis Cardinali Pucio Romam accersitus, ab eoque in honore habitus à secretis fuit, liberaliterque tractatus jam locuples effectus erat, cum ecce repentina illa praedonum procella urbem Romam invasit, quae captâ, cum is Mæcenatem suum in arcem Æliam confugientem sublequeretur, superveniente licariorum globo oppressus, immanem caedem evitare non potuit. At quanto miserabilius periit Donatus Polius vir Florentinus, Romanæ cathedrae professor, Leonisque Decimi familiaritate non ignobilis, in quo multa erant & reconditae literae, eloquendi vis non erat. Is enim à quodam puero, qui homini serviebat, spe praedae, noctu, adactio in frontem malleo, trucidatus est, cum alioqui pauperimus vitam semper egisset duram, & insigni mendicitate miserabilem. Et quoniam in Romani gymnasii professores obiter incidimus, plerosque alios enumerabo, quibus fortuna se novercam exhibuit. Antonius enim Flaminius natione Siculus, cujus praelectionibus Roma longam annorum serie nihil habuit eruditius, vitam in primis eo infelicitatis genere produxit, quod nullius unquam neque docti, neque indocti hominis familiaritate, commerciove delectatus est, non famulum, non servum habuit, neminem unquam canam adhibuit, neque aliorum ipse mensas affectavit, quod faustum aliquis dicat, nisi solitudine ipsa, & molestum, & periculosum esset. Is autem inopinatae praeventus morte à caupone viciniae, qui quotidiana edulia homini venditabat, contationem admirante, quod jam triduum non apparuisset, & per hortuli fenestellam quandam ingresso inter libros, quos humi stratos, stratus & ipse lectitare consuevit, sempiterno oppressus somno repertus est. Simile mortis genus sortitus est Antonius Amiterminus cathedrae Romanae celebris, Julii Medici Cardinalis, qui nunc summus Pontifex est, in Grammaticis, & Oratoriâ praceptor, anno antea quam is ad Pontificatum ascenderet, peste Hadrianeâ Romae faviente profugeret. Inde librorum scriptorumque suorum desiderio incensus, ut hujusmodi suppellecilem, vel ut nonnulli volunt, reconditam pecuniam auferret, reversus Romam, & domum suam ingressus, ubi familiares sui eo morbo contaminati interierant, ipse quoque contactus è vestigio, dum abitionem parat, Aquilam profecturus senex, æger, & corpore, & animo confectus, quadragesimo ab urbe lapide, intra hospitium, vel à nemine in diverforium receptus, vel ipse nulli satis fidens, ut procellosam tamen caeli tempestatem, quae largè cadente pluvia oborta erat,

Qq

per



Augustus  
Valdus.

per noctem evitaret, in proximi templi cujusdam vetustate prærupti pronum se conjecerat, noctem ibi pro foribus quieturus, mane autem à viatoribus ibidem repertus est exanimatus. At non minus crudeliter occubuit Augustus Valdus, Patavinus civis, qui Romæ per tot annos bonas literas tantis ab eo vigiliis, sudoribus, & peregrinationibus acquisitas, professus erat, qui non solum voce, verum etiam scriptis, eruditionem omnifariam ab interitu vindicabat; quam autem miserabili mortis genere vitam finit! Incidit enim in Romanam cladem, Hispanorum illam, & Germanorum prædonum sævitiam acerbissimam, cujus ante oculos direptâ domo, ipse in vinculis habitus, preciosissimam librorum supellecilem, laboresque illos suos, quos præsertim in Plinium elucubravit, coram dilacerari, & in usum culinæ incendi conspexit, & in eo mœrore omnibus aliis incommodis conflictatus, propter arrogantem eorum crudelitatem, quibus nihil unquam fuit, improbius, dum modicæ fortunæ vir insatiabilem barbarorum sitim tributis explere nequit, quomne senectutis suæ viaticum jam excusserant è loculis, post cruciatus varios, fame demum consumptas perhibetur.

Janus  
Parrhasius.

Professus etiam apud nos Janus Parrhasius, ad cujus jucundam vocem undique concurrebatur. Verum is, dum assiduis vigiliis, & longæ lectionis laboribus maceratur, in eam incidit articularis morbi trulentiam, ut per annos aliquot nil præter linguam in universo corpore haberet incolumem, siderato propemodum utroque crure, ut nullis pedum officiis uti posset, lacertisque præ dolore, & contractione, redditus inutilibus, magnâ insuper inopiâ, & egestate oppressus, rerum demum omnium desperatione ductus, relicta Româ in Calabriam cum secessisset, in febrim subito incidit, qua diu vexatus, miserabileque eo cruciatu superatus, expiravit. Neque diu felix fuit Thomas Phædrus, affluentissimum eloquentiæ flumen, quo non alius eo tempore orando clarior, neque vehementior fuit, Romæ ipse quoque cathedræ decus, & ornamentum. Quam verò miserabiliter, quamque in opinato mortis genere surreptus interit, dum scilicet mula media urbe vehitur junctis factus obviam bubalis, qui visendæ magnitudinis carrucam trahebant.

Thomas  
Phædrus.

— Conternatâ siquidem mulâ bubalisque identidem perterrefactis, simul ab ea calcitrosa excussus est tam magnæ corporaturæ vir, quantum hominem nostris, simul à plautro superatus, quamvis in rotarum medietum intervalum incidens elisione evitarit corrupto tamen præ timore, & gravi casu intra viscera sanguine, multa inde longæ, & occultæ valetudinis incommoda perpeffus, in ejusmodi ærumna vitâ functus est. Quid verò Camillus Paleottus tam elegantis literaturæ juvenis,

Camillus  
Paleottus.

non ne etiam ille, cum ex Bononiensi cathedra Romam ad fratris germani causam, qui à Julio Secundo publico de negotio in vinculis habebatur, procurandam profectus esset, interveniente mox Julii ipsius morte, suffectoque illi Leone Decimo, cum à Cardinali Divitio, virtutis, & ingenii ergo loco germani fratris amaretur, in eam incidit valetudinem, qua per multos menses miserabiliter cruciatus totis membris non sine lethali dolore sideratis in ipso ætatis flore quintum & vigesimum natus annum, magnæ omni expectationi præreptus est? Hujus autem affinis Philippus Beroaldus junior insigni & ipse literaturâ præditus, Bononiensem cathedram aliquandiu rexerat, Romæ inde publico conductus salario professus est. Mox à Joanne Medico Cardinali jam tum Æmiliæ, & copiarum Pontificiarum Legato, admissus in amicitiam, illi à secretis fuit. Postea verò quàm is ad Pontificatum ascendit, Phædro mox vita functo, in Bibliothecæ Palatinæ præfecturâ illi suffectus est. In reliquis ornamentis, & commodis repulsam passus,

Philippus  
Beroaldus  
junior.

despectuque propemodum habitus, vix victui necessaria pro antiquæ familiaritatis dignitate obsequabatur, quo ex mœrore cum desertum se, atque abjectum existimaret, in rapidissimam febrem illapsus ad amicorum liberalitatem confugere coactus, brevi eo morbo, curisque confectus interit. Hic ego cum aliquantulum tacuisssem, præceptoris, quem unice dilexeram, observaveramque, desiderio exacerbatus, putavit Contarenius absolvisse me dictionem meam, atque ita excepit. Multa quidem, Grana Pontifex, miseriarum, quæ doctis viris acciderunt, apud vos exempla, quæ vos infelicia judicatis, complexus es, sed quid inquires, si apud nos quoque parem his vestris calamitatem (utar enim locutione vestrâ, quamvis longè alia mihi sententia,) literatos affixisse dixerò, & ut à professoribus, in quibus tu finem fecisti, incipiam, cum



adolescentes effemus, tres habuimus insignes literaturâ viros, quos in hujusmodi studiis sectabamur. Duos Venetiis, Marcum Antonium Sabellicum, & Georgium Vallam, Patavii autem Joannem Calyphurnium. Qui quidem vel in gravissimis miseris, vel iniquissima vitæ conditione finem sortiti sunt, ut more vestro dicam calamitosum. Georgius enim Valla Placentinus, multi *Georgius Valla.* studii, multæ doctrinæ vir, multarum idem lucubrationum auctor, dum Venetiis, profitetur, Tri-  
 ultix factionis sectator acerrimus, ita ut, quin publicè etiam adversarios maledictis profcinderet, minimè sibi temperare posset, hinc Ludovici Mediolanensis ducis inimicitis vexatus, in ipsâ, quam instituebat, civitate coniectus in carcerem situ eo aliquandiu contabuit; cognitâ mox causâ, & absolutus, & cathedræ suæ redditus, haud ita multo post cum mane summo paratus esset conferre se ad auditorium, ubi tunc Tusculanas Ciceronis quæstiones prælegebat, deque animæ immortalitate vehementissimè, doctissimeque quotidie diserebat, dum interim corpori vacaturus excrementa cibi dejecit, animam etiam morte subitanea exhalavit. Nos qui quotidie ad admirandam hominis doctrinam sub matutinum crepusculum conveniebamus, non prius tali nos doctore defraudatos intelleximus, quam hora profitendi frustra elapsâ, certos, qui moræ causam sciscitarentur, domum ejus delegavimus, qui redeuntes gymnasium nostrum præter omnium spem, quia nullum male valetudinis incommodum præcesserat, voce illa erudita spoliatum, atque orbatum renunciaverunt. Erunt qui genus hoc mortis inter mortalium felicitates enumerabunt, quippe nullo dolore prævio, nulloque mortis metu statim exanimari. Nos tamen ex Christianæ pietatis institutis miserimum hoc existimamus, ex Philosophiæ verò præceptis, neque quidem calamitates alias, quæ alterius, non nostri juris sunt, mala existimo; sed erit super hoc alias disserendi locus.

At fuerit felix Valla, quia cruciati nullo, nulliusque rei anxius è vita migravit, nobis certè ejus discipulis calamitosa fuit hominis mors, quibus eruditionis suæ tam triste desiderium reliquit. Sed enim quò minus incommoditatis Valla perpestus est, eò plus infortunii, & ærumnarum pertulit *Sa-M. Ant. bellicus.* vir ille scriptorum copiâ, & elegantia multò clarior, quam mea ulla possit commendatione crescere, miserabilem vitæ finem eum sortitus est, quod putridâ, perniciosâque correptus elephantiasis per annos aliquot miserabiliter cruciatus, interclusâ vocis viâ, cæterisque tam spiritus, quam cibi meatibus computrescentibus, gutturisque corruptis organis, venisq; corrosis, non sine cruciabili tormento annos aliquot peregit, eaque tabe demum confectus interiit. Joannis autem *Joannes Calphurnius.* Calphurnius rarissimæ vir eruditionis, qui Patavii, me puero, bonas literas perquam diu docuerat, nullo unquam tempore non expositus invidorum obtreccionibus, & injuriis, dum omnia fortiter ferens adverte, uni studet immortalitati, repentina paralyfi percussus, amisso primùm vocis beneficio, quæ lucubraverat opuscula pleraque indicare non potuit, eoque incommodo absumptos ignavissimos fucos elaboratis à se operibus nobilitavit. Addam huic virum benè literatum *Josippus Faustinus.* Josippum Faustinum Vicentium civem, Brixia tamen oriundum Tincâ non incelebri familia, cujus ærumnosum exitum, ab Egnatio nostro me audisse memini. Noverat is hominem in civitate Bellunensi, per annos supra quatuor & triginta professum, eruditione dubio procul summâ & tam prælegendo, quam orando admirabilem, cujus integerrimam continentiam, & probitatem tota ea civitas cœlo effert, & admiratur. Is autem post navatam juventuti Bellunensi per tot annos operam, & multa ad posteritatis etiam institutionem elucubrata, eò incidit calamitatis, ut Belluno à Germanis obsessa, totius terè orbis in Venetos bello exardescente, missus is pro pacis quibuscumque conditionibus, ne urbs direptioni destinaretur, Orator unâ cum civibus aliquot ex omni nobilitate lectis, pacem quidem impetravit, obsidionisque summovendæ auctor fuit, sed ab hostibus, tributorum avidissimis, ad Pontem Æni, quem Ispicum hodie vulgo dicunt, in captivitatem abductus, jure gentium à barbaris violato, dum redemptionis pretium, quod illi flagitabant, omnem excedit modum, neque solvendo quisquam est è suis: Ipse in literarum otio ad eam usque diem nutritus, jam & mœnore, & ætati ingravescentis incommodo, malæque apud ejusmodi feritatem tractationis truculentia vexatus, ubi neminem habebat, qui consolationem afferret in tantis malis, neque quisquam inveniebatur, qui miseris perditum levaret, qui magno semper in honore apud Bellunenses fortunatè, beateq; vixerat, tanquam numen aliquod cultus,



*Galleotus Narnien- sis.* cultus, & observatus, in eo carcere, vitā tam indignē, tamque infeliciter excessit. Solebat & Galeotti Narniensis, qui apud nos diu versatus erat, miserecere Egnatius idem. Is quidem suis clarior lucubrationibus, & magnorum Principum familiaritate magis celebris, quam nostro possit clarescere testimonio, cum à Francorum Rege Ludovico ejus nominis undecimo, accessit ex Pannoniis, ubi Matthiæ Regis liberalitate deliciabatur, Lugdunum ad salutandum Gallum Regem se conferret, forte illi factus ex itinere ante urbis portas obviam, dum magna vir corporis habitudine, pinguedineque, & obesi ventris mole gravis ab equo se demittere ad terram vellet, id sibi cet honoris Principi habiturus, suo ipsius tractus pondere ita corruit, ut adfiso terræ capite, fractoque gutture statim expiravit. Hic Pollio. Quid obsecro probatissime vir indigno alienigenarum casu ita meministi, ut tuorum obliviscaris? Audivi ego Venetiis, dum Orator Pontificus in Pannoniam iterum missus, menses aliquot illic subsistere coactus sum, excidii Romani certior factus, dumque vestrorum hominum literas perscrutor, Paulum quendam Decanalem indignissimum vitæ exitum sortitum, cujus cum te perbellè conscium putem, quisnam hic fuerit obsecro nobis indices, nam & Granam, & Colotium video, ut alterum alterius auribus infusurasse animadverti, magnam utrumque literatorum carnificinam paravisse. Sed enim priusquam Decanalis elabatur, detur nobis ab nostris venia, ut quid super eo dicturus es, audiamus. Sanè

*Paulus Decanalis.*

quidem cum de literatis sermo est, nullius ego libentius meminerim quam Pauli Decanalis, qui quantæ fuerit eruditionis, nulli non innotuit. Is enim vix quintum, & vigesimum ætatis annum attigerat, & præter absolutissimam Latinarum, Græcarum, & Hebraicarum literarum cognitionem, disciplinas etiam illas illustriores, Philosophiam, Astrologiam, & Mathematicas reliquas artes, non primis, ut multi, labris degustaverat, sed pleno fonte exhauserat. Qui quidem, dum præstanti Labore Ptolemæi Geographiam non tam temporum, quam imperitorum hominum injuria passim depravatam incolumitati pristinae reddere contendit, neque sibi die, neque noctu parcat, tam utilem, & jucundam humanis ingeniis cognitionem brevi exhibiturus, ex nimia scribendi assiduitate, nixu, & perseverantiâ, rupta intra pectus vena ita sanguinem, cepit evomere, ut nulla Medicorum arte sisti posset. Tum ille fataleni instare diem inspiciens, id unum habuit præmaturæ mortis, & interceptæ in studiis gloriæ solatium, quod rerum aliarum omnium contemptâ curâ, sacris initiatus, & in Augustinianorum Heremitarum claustra inclusus intra paucissimos dies, intaminatæ juvenis vitæ, integerrimum, pudicissimumque animum celo reddidit. Ex iis autem, quos Patavii studiorum meorum comites habui, tres mihi præcipue &

*Nicolaus Angelicus.*

ingenio, & probitate excellere visi sunt, quorum qui fuerit exitus, audieris. Nicolaus Angelicus Venetus, diligentissimam bonarum artium studiis operam navaverat. Nam & Philosophiam Patavii absolutissimè didicerat, neque ea contentus juris etiam peritiam acquisiverat, in eaque disciplina Romæ approbatus, laureaque ibi honestatus, in patriam ad fori negotia se contulerat. Sub primum appulum patre vitâ functo, familiaribus, atque iis quidem molestissimis est litibus infestus, quibus dum variè distrahitur, accidit, ut sub primum noctis crepusculum tumultu ante aedium suarum fores excitato à percussoribus, quos adversarii sum miserant, dum aedes ipse suas defensurus, in quas illi contendebant irrumperé animosus juvenis stricto ense in viam usque mediam procedit, longè majori ex insidiis ingruente turba, cum unus in tot sufficere non posset, multis hinc inde vulneribus laceratus, refecto demum transverso icu sæmore miserabiliter occum-

*Mattheus Albinus.*

beret. Ut verò, quæ recentissima sunt, commemorem, hujus & socius, & contubernalis Mattheus Albinus, & ipse Venetus, in arte medica peritissimus, ex qua locupletissimas divitias comparaverat, magnam adeptus auctoritatē tam ex ipsius artis scientia, quam ex incomparabili, qua erat egregiè præditus integritate, ex uxore pudicissima admirandæ indolis filium susceperat, de quo cum spem optimam concepisset, & ad bonas artes idoneū comperisset, isq; ultra quam puerilitatis anni ferre viderentur, profecisset, subitaniā in eum grassante febrī, acerbissimo elatus funere patrem in eam conjecit doloris vim, ut ex concepta inde mœstitia paucis post diebus, cum dolori resistere non posset, assidueque ejus funeris cogitationi inhæresceret, neq; levari aegritudine pateretur, eā demum oppressus, ipse quoq; perierit; nosque & amico optimo, & ingenioso opere, de ratione super ægrotantibus disseren-



disserendi, quod inchoaverat, privati, perpetuo affligemur. At, ne ab hoc discedam contubernio. Hieronymus Angeli Pisauriensis magnâ apud nos celebritate Medici filius, & ipse Medicus juvenili quamvis aetate peritissimus, qui cum Albino & alitis, & educatus, fororem illi in matrimonium collocaverat, conspectâ & ipse cum summo animi mœrore immaturâ nepotis morte, subsecutoq; recenti dilectissimi fororâ funere, vulnere hinc refricari, ac recrudescere viso, usque adeo cruciatus animi & afflicti est, ut ex luctu, & mœrore contabescens, brevi ipse quoq; conjunctissimum fororâ subsecutus fuerit. Horum socius, & contubernalis Joannes Campanius Chaneensis, familiaris meus, acutissimi juvenis ingenii, Venetiis, & Patavii bonis literis, & disciplinis operâ multum insumpserat, eratque & in Philosophicis, & in Medicinâ studiis optimè eruditus, sed juventutem omnem per omnes inopiâ difficultates traxerat, amicorum tantum liberalitate sustentatus, qui natum ad frugem optimam adolescentem fovere perseverabant. Is posteaquam Medicum profiteri cœpit, mirum est, quàm brevî ad magnas opes pervenerit. Triennio enim, quò apud Bituriges ab Italis mercatoribus conductus, eam artem exercuit, largissimè locupletatus erat, quod in Medico juvene rarissimè contingit. Atque ita re bene gestâ, dum Romam transmigrare parat, ut in hac luce hominum viveret, quasque sub incude habebat, rerum naturalium quæstiones expoliret, secundum, & trigessimum natus annum atrocissimâ oppressus febre tam procul Italiâ, ut & ipse desideratus est, ita doctissima etiam ejus scripta interiere. Horum autem præceptor, & meus in primis Philosophiæ tyro-<sup>Bernardino Camu-  
sius.</sup> ciniis Bernardinus Camusius Albinganno patriâ, qui Philosophiam Venetiis, mox Patavii nobis adolescentibus docuit, & suâ, & discipulorum celebritate clarus, quo proficiente, quæstiones eas asperiores Latinis verbis tractari posse experimento disciebamus, cum maturè nimis receptui cecidisset, medicinâ que se penitus addidisset, & nomen, & fortunas amplas in patrio acquisierat solo. Adhæc uxore supra quam Philosopho conveniebat formosa, & dote magna auctus, dum post tot exantlatos labores sperat otio aliquo per quietem frui, & aliqua ingenii, & eruditionis suæ monumenta posteris relinquere, rebellis conjugis operâ, ut fama est, à percussoribus quatuor multis & lethalibus vulneribus confossus est. Cumque diligenti curatione adhibita mortis jam periculum evasisse videretur, ab ea ipsa uxore veneno demum fertur extinctus. Et quoniam ad Medicos sermo-<sup>Andreas  
Mongajus.</sup> nis me series traxit, Andreas Mongajus Bellunensis repentino sublatus obitu studiosis potius omnibus, quàm sibi fuit incommodus. Ille enim, cum diligentem Medicinæ operam dedisset, depravatis ubique Avicennæ codicibus offensas, Damascum usque profecturus ad antiquos ejus auctoris libros perquirendos pelagi tantum enavigavit, terrarum tantum peragravit. Ubi ea in urbe confedit, Arabica per summam industriam, & vigilantiam lingua optimè percepta tam utilis auctoris scripta omnia correxerat, multaque ad hanc aetatem incognita declararat, cum à Senatu Veneto conductus Patavinæ est cathedræ præfectus, ut quam optimè callebat, artem edoceret. Paucis verò post mensibus à cœna, nulla male cujuspiam valetudinis molestia prætentatus subitario eventu in lectu inclinatus expiravit.

Sed enim quanto tolerabilior est Mongajii mors, quòd senex, quòd honoratus, quòd dives, quòd sine morbi alicujus molestia, qui operibus quæ parturierat absolutis, vitâ cesserit; eò gravior est Julii Dojoni, item Bellunensis casus, qui juvenis, qui pessilientissimo morbi genere per aliquot dies vexatus, qui lubricationibus in medicina pluribus quidem inchoatis, nullis autem absolutis, tunc nobis ereptus sit, cum maximè patriæ ornamento, familiæq; suæ usui futurus erat. Is enim primo in Patavino gymnasio medicinam publicè professus, Venetorum deinde consulem honestissima conditione Aleppum usque secutus fuit; qua in urbe Turcici Imperii post Byzantium primario emporio per biennium commoratus, Tripolim ab altero Venetorum consule peste laborante accersitur; dum igitur eò cum duobus viæ sociis nocte propter æstivos calores magnis itineribus contendit, decimo ab urbe lapide hunc latrones ex occultis locis repentino impetu adoriuntur, alteroque comite ab his interfecto, altero autem gravibus vulneribus confosso, ipse clavâ in capite, & humeris sæpius percussus, exanimis jacuit. Latrones verò tantis ictibus interemptum existimantes, illo omnibus vestibus, & quamplurimis auris Venetis exspoliato, interiori tantum tunicâ eidem relicta, abierunt: ita verò crudeliter tractatus, vixque humi surgens post aliquod temporis spatium, multâ nocte in



54  
 civitatem, unde discesserat, regressus est, ubi tandem brevi aëris benignitate convaluit. Non dum  
 tamen triennio transacto satis locuples factus, iisque bonis contentus, quibus parentes suos, & nu-  
 merosam familiam, decenter aleret, cum Bellunum natale solum remeare meditaretur, subita pestis  
 vi in illa civitate sæviens, & quam multis sanaverat, eandem ipse quoque contactus, paucos post  
 dies, tam immaturâ ætate, ab omnibus destitutus, miserabiliter animam efflavit, patriamque, &  
 parentes sui expectatione defraudavit. Infelix etiam est Marci Antonii Turrani interitus. Fuit is  
 Hieronymi Veronensis viri clarissimi, qui Patavii per multos annos Medicinam magno omnium  
 profectu docuerat, filius. Juvenis dubio procul in omni disciplinarum genere longè ultra quam æ-  
 tas ferret, eruditissimus, à primis adolescentiæ annis Patavii & ipse publicè professor, Dialecticam,  
 Philosophiam, & Medicinam docuit. Turbulentissimis demum temporibus atrocissimi illius in  
 Venetos belli, quod in eos Christianorum omnium Regum conjuratione gestum est, ut incommoda  
 illa evitaret, & non apta jam studiis loca declinaret, Papiam accersitus maxima cum omnium admi-  
 ratione, qui juvenis doctrinam, & eloquentiam commendabant, profitebatur. Cum ecce iniquissi-  
 ma correptus febre circiter trigésimo vitæ anno primarius penè ætate sua Philosophus in humanis  
 esse desit.

M. Antonii  
 Turranius.

Joannes  
 Cotta.

Neque verò minorem in Joanne Cotta Veronense jaçturam fecerunt bonæ literæ. Juvenis is  
 multa rerum omnium cognitione egregius, disciplinarum nostrarum non ignarus, Mathematicarum  
 optimè peritus. In condendo verò Poëmata elegantia, & venustatis incomparabilis, quique anti-  
 quum illum leporem ætate nostra revocare cæperat. Is inquam, dum Viterbii apud Julium Secun-  
 dum magnis de rebus Orator agit, pestilenti oppressus febrî in ipso ætatis flore detecit, scriptis ejus  
 & hic, & illic magna ex parte dissipatis, ut neque posteritati, neque nomini suo prospicere potuerit.  
 Vivet tamen, & doctissimorum omnium testimonio celebratus iniquæ fortunæ invidiam superabit.

Dantes Ter-  
 tius Aliger.

Et Dantes Tertius Aliger Veronensis vir dubio procul optimè litteratus, & in Latino condendo car-  
 mine benè elegans, & eruditus fortunam ipse quoque novercam expertus est. Quo enim tempore  
 scripta sua cæperat in classes instruere, & immortalitati suæ viaticum comparare, in belli tempora  
 incidit, quod universi orbis viribus contra Venetos Julius Secundus Pont. Max. concitavit. Quo  
 factum est, ut Veronâ à Barbaris captâ, ipse ne immani eorum feritati parere cogeretur, Mantuam  
 voluntario exilio profugerit. Ibi que rerum omnium angustis oppressus, uxore & liberis ex opulen-  
 tâ satis conditione in arctissimam egestatem, & miseriam coniectis, tum ætate jam gravis, & ad in-  
 commoda hujusmodi ferenda minus adfuetus, gravi admodum valetudine diu excruciatas in eo  
 exilio, perturbato, subversoque rerum omnium suarum ordine, calamitose mortis genere vitam fini-  
 nit. Tali mœre contabuit & Hieronymus Bononius Tarvisinus, vir nisi fata eum tot calamitati-  
 bus afflixissent, ad magnam & ingenii, & eruditionis laudem natus, sive rerum antiquarum, quibus  
 valde oblectabatur, cognitione præstaret, sive non inelegans carmen cuderet, sive aliorum ingenia  
 benignissimus excitaret. Istamen per viginti & amplius annos tabe totius corporis computrescens,  
 filiorum aliquot inprimis surditatem, mox & desipientiam expertus, superveniente bellorum tem-  
 pestate, vitam extra patriam in magna rerum omnium perturbatione dereliquit. Ita & Jacobus Pa-  
 ganus Bellunensis, & generis nobilitate insignis, & literatura non incelebris, multis apud magi-  
 stratus Venetos honoribus perfunctus, quo tempore numerosa prolis rectè, & ingenuè instituta, e-  
 ducata, & erudita solatio frui debebat, in turbulentissima Germanici contra Venetos belli tempora  
 incidit, quorum violentiâ patriâ extorris factus, dum barbarorum sævitiam quanto potest studio  
 declinat, voluntarius exul Venetiis omnium rerum incommodis afflictus perit. Fuit & Hieronymus  
 Donatus Patricius noster nullius ignarus doctrinæ, Poëta, Orator, Philosophus, Theologus, Mathe-  
 maticusque peregrinus, tantâ semper rei familiaris molestiâ, & domesticorum ad justa rebellium  
 curâ, sollicitudineque inquietatus est, ut nisi curas litterarum solatio levasset, nemo unquam in Ven-  
 etos exulceratum per intolerabilem patientiam hic Orator pervicerat, prostrataque jam patriæ sub-  
 sidium, & respirationem comparaverat, eo ipso die, quo sædus cum Julio sanxerat in rapidissimum  
 lapsum.

Hieronymus  
 Boninus.

Jacobus Pa-  
 ganus.

Hieronymus  
 Donatus.

Donatus Patricius noster nullius ignarus doctrinæ, Poëta, Orator, Philosophus, Theologus, Mathe-  
 maticusque peregrinus, tantâ semper rei familiaris molestiâ, & domesticorum ad justa rebellium  
 curâ, sollicitudineque inquietatus est, ut nisi curas litterarum solatio levasset, nemo unquam in Ven-  
 etos exulceratum per intolerabilem patientiam hic Orator pervicerat, prostrataque jam patriæ sub-  
 sidium, & respirationem comparaverat, eo ipso die, quo sædus cum Julio sanxerat in rapidissimum  
 lapsum.



lappus febrim, brevique inde extinctus, subsecutam patriæ suæ, quam de pertinacissimâ fortunæ manibus extorserat, felicitatem videre non potuit. Scripta ejus innumera ad immortalitatem elucubrata, quod eruditissimum est ærumnarum genus, paucissimis admodum exceptis, quæ vivens ediderat, adhuc in tenebris jacent occultata. Sed hi forsân communia cum multis passi videantur, neque fortè ærumnosis adnumerandi fuerint, veluti calamitosissima Gabrielis Zerbi Venonensis Medici mors, quæ nulla multis ab hinc annis neque immanior, neque crudelior accidit. Fuit is in Patavino Gymnasio professor valde celebris, cujus promptissimum ingenium, & intrepida ob doctrinam confidentia Romanis etiam vestris tunc innotuit, cum in frequentissimo Philosophorum, Theologorumque conventu, ubi de re valde seriæ agebatur, ausus est Sixto Pontifici Max. disputanti imperitiam objectare, quâ ille offensus intemperantiâ, quod majestatem suam ita contemptui habuisset, erat in hominem graviter animadversurus. Sed enim Pontificis cognito consilio clam statim urbe aufugit, Patavique mox per annos multos profectus est. Accidit autem, ut Scander Turcarum Regis Primipilaris vir gravissima dysenteria laboraret, quæsieritque percognitissimum sibi hominem Andream Gritteum, qui nunc Princeps noster est, ut Medicus ex Italia ad se quam primum mitteretur, ingentia itineris, laborum, & curæ præmia reportaturus. Suscepit provinciam Zerbus, & immensum auri pondus spe vorans, ad Scanderem proficiscitur, secumque filiolum adhuc impubem adducit. Curat Principem hunc Zerbus diligenter, & pristinæ reddit incolumitati, donatur mox auro multo, vestibus, & gemmis, & argenteis pateris, & carohæsis, aliâque suppellectili locupletatur, ut si domum ea omnia asportare licuisset, unumquemque Europæ Regem instrumento fuerit provocaturus. Bene autem res acta erat, tatebaturque Princeps & vitam, & salutem sibi hominis hujus curatione partam, acceptisque ab eo de reliquæ vitæ ratione præceptis, commeatum dederat. Ille jumentis oneratis ad finitimum quoddam Turcarum castellum, unde in Dalmatiam diverteret, se recipit, pauculoque ibi dies moratur, dum præsidium itineris ex Christiani nominis hominibus accersitur, quæ omnia pacatissimè, & fide utrinque datâ acceptâ transigebantur. Accidit autem, ut Scander præceptorum immemor, & naturâ ipsâ minimè continens, dum libidinem suam explere pergit, in graviolem recideret ægrotationem, qua brevissimo temporis spaciolo consumptus interiit. Filii, ut in preciosa illa munera, quæ pater Zerbo dederat, invaderent, temporarium venenum è Medico patri datum calumniantes, percussores expeditissimos immiserunt, qui fugientem, ut ajebant, è fuga retraherent. Illi captum Zerbum, & unâ filium adolescentem indicta causa eo supplicii genere affecerunt, ut primum immeritissimum filium ante patris oculos inter duas ex ligno tabulas inclusum, ferrâ medium dissecarent, mox ipsum quoque tormento eodem atrocissimo trucidarent. Exhorrerunt ad hanc barbarorum immanitatem omnium animi, cunctique veluti stupore quodam attoniti conticuerant, cum demum Colotius ita silentium rupit. Gravissimum est, non inficior, in exilio, & egestate laborantem morbo etiam absumi. Miserrimum longæ alicujus valetudinis incommodo cruciari; Infelicissimum trucidari; sed eorum ego fortem omnium teterrimam, & ærumnosissimam existimo, qui se tam miseros judicarunt, ut sponte sibimet manus injicerent. In reliquis enim ærumnis, quamdiu sperare licet, spes adfulget aliqua, quæ quidem ægritudinem, aut fortunæ favitiam leniat, in animo verò sponte mori destinato nulla neque spes, neque alterius consolationis ratio locum habet. Atque ne ullum calamitatis genus à literatis absit, hoc, ut est omnium atrocissimum, ita frequentius in hujusmodi genus hominum debacchatur. Sic Demosthenes, sic Cato, sic apud veteres clari plerique viri vitam finire, quod illis tamen vel laudi, vel saluti attributum est, & fortiter perriisse dicti: nobis, qui sanctius instituti sumus, nihil æquè perniciosum existimatur. Quod si rerum summa in hominum opinione consistit, illi nimirum omnium ærumnosissimi, qui suas sibimet invisas animas projecere. Verùm audite obsecro, an ulli nostro tempore fuerint, qui tantum calamitatis animo conciperent, ut non aliâ ratione illi obviam iri posse putarent, nisi manus sibi violentissimas inferrerent. M. Caballinus Anconitanus, summâ doctrinâ, summoque judicio vir, ita temperatis, moderatisque moribus semper fuerat, ut nihil eo probius, neque sincerius haberetur. Integerrimæ ad hæc bonitatis, & erga eruditos omnes amorabundus, magnam & humanitatis, & festivitatis laudem reportaverat. Is tamen

Gabriel  
Zerbus.

Colotius.

M. Caballinus  
Anconitanus.



tamen, dum apud Cardinalem M. Cornelium à secretis vitam agit honoratissimam, in maniam nefcio quam, quòd causà quadam deciderat, in qua secunda omnia sibi proposuerat, lapsus, sub idem tempus grandi pecunià deposito à magni nominis amico per inficiationem indignissimè defraudatus, in conclave suum sponte inclusus, iniquissimas sibi manus intulit. Foribus enim post aliquod temporis intervallum, quo non prodibat ad officia, perfractis, repertus est à necessariis humi jacens, præ longo gladio per medium pectus adacto, dum hesterno sanguine totum cubiculi pavementum nataret. Visa tamen hæc lues Florentiæ magis, quàm alibi vigere. Tres siquidem memorantur iterati viri, ejus urbis cives, qui talis perpulsi infania semetipsos suffocarint. Ex quibus Laurentianus

Laurentius  
Laurentianus  
nu.

magna celebritatis est, quo non elegantior quisquam Philosophiæ studia à Ciceronianis temporibus ad hæc usque sæcula interpretari aggressus est, Græcè, Latineque nimirum eruditissimus. Dum autem is Commentarius in Aristotelem Latino idiomate omni summo à barbarie incumbit elubrandis, partemque eorum jam edita, pars edenda procluditur, repentino nescio quo furore raptus, in profundum aquæ puteum semet ipse præcipitem dedit, seque vitæ & studiosos omnes expectatione, quamque de homine spem conceperant, frustratus est. Petrus autem Leon & ipse Florentinus artis medicæ peritissimus, & in literis politioribus non mediocriter excultus, variarumque rerum cognitione nobilis in tanta disciplinarum peritiâ, adversa fortis inclementiam evitare non potuit: furore enim quodam correptus, sponte in altissimâ aquæ puteum desiliit, atque ita genere mortis miserimo, & viro, præsertim Philosopho, indignissimo periit. Ita & Joannes Baptista Albinus Bernadi Florentini viri filius legum peritiâ, & aliarum disciplinarum studiis nobilitatus, ob eaque Apostolicæ Cancellariæ Rector adhibitus ætate adhuc florente, ut qui vix quintum & trigentesimum annum expleset, summâ modestiâ, atque etiam non vulgari prudentiâ habitus, erga omnes verò in primis officiosissimus, eò is adactus est, casu nescio quo, ut quodam die planè mane se in altam putei domestici voraginem immiserit, cumque funi, scitulæque mox ad hæc sisset, quasi facti pernitens, supervenientibus fratribus, qui à servis excitati fuerant, opemque afferre conantibus, ipse sine derelicto sponte se in altissimam aquam suffocavit.

Petrus  
Leon

Juan. Baptista  
Albinus.

De fenestris aut se projecere Franciscus Fortunius, Julianus Camers, & Johannes Valdesius, hic amoris vi superatus, ille prædonum, qui Romam diripiebant, timore impulsus, alius qua de causa mente captus ignoratur. Nam cum Franciscus Fortunius Anconitanæ civitatis Prætor esset, quod munus honestissimè, sapientissimeque, ut Anconitani testantur, exequabatur repente reperitus est in Prætoria platea de palatii fenestris lapsus, ignorato auctore, cum tamen Anconitani prædicent eum furore quodam concitum sponte sese dedisse præcipitem. Fuit is jurisconsultus optimè eruditus, Latinis literis admodum expolitus, ut scilicet M. Antonii Sabellici discipulum agnosceres. Julianus autem Camers Grammaticus, qui Romæ annos multos publicè professus fuerat, ab Leone Decimo instituendo Innocentio Cardinali Cibæo adhibitus. Id primum, dum viveret, infelicissimum duxit, quod in honoribus, quos mirificè affectabat, nulla unquam ejus habita ratio. Demum oppressa ab Hispanis, Germanisque Roma, dum palatium diripitur, ubi is habitabat, aliquos ex familia per testes arripi, & ea parte adalligatos sublimes in supplicium, & absconditi auri quaestionem, vexari cum conspexisset, ipse veritus ne talia pateretur, cui etiam graviora, nisi aurum promeret, minitabantur, cum nullum aliud in rebus tam subitis, tum que angustiis consilium appareret, de altissima fenestra in silicetam aream saltu se præcipitem dedit, corporeque universo silicibus miserabiliter adliso, tam duro exitio servituti, & cruciatibus illis mortem anteposuit. Neque minus miserabili de causa semetipsum interfecit Joannes Valdesius natione Hispanus, qui Romæ per literas, & industriam, & magnorum Principum gratiam ad magnas divitias evectus, multis apud nos officiis, id certi census nomen Romæ in honore habebatur, clarus habebatur, juvenis quidem elegans & formosissimi corporis proceritate insignis, sed M. Antonii Alterii, viri Senatorii, patris ejus celebritate longè insignioris, amore correptus est, cumque indiès virtus ejus faminæ clarior elucesceret; ille morem amoris suo gestans, dat fidem uxorem sibi fore hanc: eique solemnè desponsione puella dedicatur. Paulo post ob-

Franciscus  
Fortunius.

Julianus  
Camers.

Joannes  
Valdesius.



fecit pater sponsum sacris olim initiatum, neque ullum esse posse nuptiis locum, in summam adductus sollicitudinem, cum & sibi, & filiae illius per summam ignominiam videret, multis, & magnis, ut par erat, molestiis afflictus, rem defert ad Leonardum Cardinalem Roboreum, qui tunc absente Julio Romae Legatus erat, magis ut ab eo consilium caperet, quam ut injuriam ulcisci meditaretur. Comprehenditur Leonardi jussu Valdesius, & in Hadriani molem capitis reus includitur. Ille tam amore perditus, quam vitae periculo perterrefactus abdicaturum se sacerdotio, si per summum Pontificem liceat, & puellam vel indotatam ducturum pollicetur. Atque ita sponforibus, vadibusque datis ea conditione dimittitur. Interim dum ejus veniae diploma à Julio Pontifice, qui tunc Ravennae confederat, expectatur, Valdesius neque libenter sacerdotiis, quae opulenta erant, abdicare cogitat, neque perferre se amorem, etiam si impunè liceat, ulterius sperat. Igitur quum id consilii se cepisse videret, quod non facile poterat explicare, graviore ob id dolore affectus, quòd pudicissimae faminae famam, & fortunam omnem everterat, si repudii nuntium remisisset, magnis excruciatu sollicitudinibus, misericordiaeque & pudore confectus, ut erat aestivus dies, turrulam quandam ad prospectum super aedium culmen excitatam distinctus adhuc ascendit, quasi matutinalem auram strictiorem animi gratia captaturus, servuloque mox negotii certi nomine ablegato, nullam aliam ratione nactus, qua se turbulentissimis miseriis explicaret, & dulcissimae sponsae famam, nominique prospiceret, ex editissimo eo loco in viam mediam sese praecipitem dedit, quo ita totis ossibus colliso, & statim exanimato, Alterii filia re percepta, ipsa quoque sponsi desiderio sibimet manum inferre tentavit; sed diligenti familiarium observatione prohibita, custoditaque, posteaquam tempore dolor aliquantulum mitigatus est, maritalem perosa vitam, perpetuo victura calibatu vestalem induit; Valdesius totius Romae luctu deploratus est.

Verum omnes mortis, & fati acerbitates excessisse, & quicquid unquam truculentiae fuit, exuperasse mihi videtur Francisci Priuli exitus infelicissimus. Juvenis is ex patriciatus vestro, Contarene, tuusque forsan condiscipulus, Romae etiam non ignobilis, qui bonarum disciplinarum studiis eruditus, Astrologiam in primis adamaverat, multaque ejus scientiae arcana in mortalium usum revelaverat, Augustino Gysio, Senensi viro, divitiarum opulenta claro, summo opere tam ob nobilitatem generis, quam ob doctrinam, & elegantissimos mores carus. Ante omnia verò Leoni Decimo Pont. Max. acceptissimus, qui quidem Princeps & doctrina, & judicio summus dicere solitus erat, Astrologiam olim extinctam in uno demum Priulo revivisse. Ita in eo, quem de ejus genese conscripserat, libro abditissima quaeque antea aetatis, & uni ipsi cognita Principi explicuerat; quaeque incumberent, quaeque futura essent, ad unguem, ut eventus postmodum comprobavit, in singulos ferè dies praedixerat. Quare Pontifex jam de erigendo eo meditabatur. Accidit verò, ut ab Gysio ad Aluminis fodinas visendas adduceretur juvenis infelicissimus, ubi statuerat sese aliquantulum exhilarare. Itaque dum venationes, dum aucupatus, dum retia, canesque procurantur, diesque tota domo geniales instituuntur, nescio quis furor Priulum occupavit, ut de consciscenda sibi voluntaria morte consilium caperet, atque haud ita multò post occasione oblata è gestatione quadam declinata turba in nemus se proximum abdidit, nullosque ibi nactus arbitros in aggeris praeralti lacunam sese praecipitem dedit. Fefellit juvenem altitudo aquae, quae vix semipedem adsurgebat, cumque non idonea ad suffocandam esset, à superveniente famulo, qui statim subsecutus fuerat, ex ea volutatione exemptus est. Revertuntur vespertino domum, magnoque interim accenso igne, dum servus huc illuc dimittitur, fatagiturque, Priulus tempore, quo servum non adesse putabat, observato, in ignem se superinjecit, ad strepitum recurrit servus, sollicitoque studio dominum sustollit. Causatur illi nervorum infirmitas, & quidam quasi stupor, quem ex lapsu in aquam contraxit. Servus nihil cunctandum ratus omnia haec Gysio renunciat. Custodiendum diligenter Gysius imperat, leniter tamen habendum, ne furor exasperetur. Adfunt igitur custodes sub colludendi, confabulandique specie, summoventurque illa omnia, quae laeviendi occasionem praebere poterant; ille tamen expectato tempore, quo furoris sui suspensionem cessare animadverterat, seque jam negligentius custodiri, stabulum ingressus quasi mulam visurus suam, ibique nullo custodum invento, coniectis in parietem oculis acutissimi mucronis stylum conspicit, eoque statim arrepto aciem



in guttur ipse suum dirigit, seque quanto potest conatu ejugulare contendit. Diligentissimus ejus famulus, qui negotiali causa ablegatus fuerat, ubi ad stabulum descendisse dominum accepit, eo præcepti cursu provolans, videt hunc crudelissimo eo conatu sibi manus injecisse, insilit statim in ejus brachium, dereptoque stylo, eoque procul abjecto, ut valentibus erat viribus, medium complectitur Medici, curatur diligenter. Nunquam inde abscedit Gyfius, quin aliquem e primoribus amicis observatorem relinquat, ne quid is ulterius ineptiarum faceret. Simulaverat iterum Priulus respicientiam, & alioqui mori destinatus, hilari omnes compellabat fronte, dictorum, actorumque memor, nulli de infania sua suspicionem vel minimam relinquebat. Jam vulnus coiverat, jam surgebat e lecto liber, jam ludebat, jam cum omnibus festivissime jocabatur. Jam sodalibus, jam deambulationibus delectari videbatur. Quodam igitur die, qui festus erat, Gyfius mane ad lectum adest, Priulum ut habeat, percontatur. Ex voto ille respondit. Interrogat Gyfius, an velit secum ad proximam ædiculam, ejus diei festi causa, rei sacre interfuturus accedere; quo non contanter promittente, hortatur Gyfius, lectulo surgat, seque adornet. Bene est, inquit Priulus, jamjam instructus adero; & tunc famulo innuit, ut lineam tunicam interiorem concalescentiam afferat. Abit Gyfius his inspectis, ut qui nihil ulterius mali suspicaretur. Dum verò famulus indusum alio cubiculo calefaciendum curat, Priulus tempus id nactus, quo cubiculo omnes exceleserant, pernici saltu in fenestram sese proripuit, deque ea, quæ loco satis edito erat, se præcipitem misit; contraque tota dorsi spina, semianimus jacuit cum micore, & lamentatione omnium, qui priorem modestiam, & ætatem juvenis miserabantur; nondam enim octavum, & vigesimum annum exceleserat. Sublatus inde, & in lecticam impositus, adhibitis custodiis Romam à Gyfio statim asportari jubetur: nullum curandi officium intermittitur, cum tamen vel ita fractus curationi pertinacissime reluctaretur, ut qui mori omnino destinaverat. Subid tempus conjunctissimus illi condiscipulus Pierius Valerianus noster, qui rei fidem faciet, peregrè advenerat, amicumque statim salutandi causa inviserat, comperit inter medicorum manus destinatissime, quod poterat, omnibus adversantem, nullumque remedii genus admittentem. Pierius quid actum esset, edoctus, blandis eum verbis alloquitur, indignissimum casum longè aliter ac erat, ut suspicionem elevaret, audisse se, statimque accurrisse, velle se in officio esse, neque amicum talem derelinquere ullo modo posse. Bono animo esse jubet, multa que de Pontificis erga eum benevolentia, quæ nuper audisset, pollicetur, quæque ad hoc apta videbantur, omnia commiscitur. Movetur Priulus amici, à quo se unice colinoverat, presentia, & obligari fracta ossa, nervos distrahi, torqueri, componi, & acerbissimi doloris contrectationes constanter; & sine ullo profusus clamore tolerat, perpetiturque. Nunquam tamen neque Pierius, neque Ferdinandus Siculus Leonis Decimi Medicus, neque necessariorum quispiam pervincere potuerunt etiam adauctis intra dentium clausura scalpris, ut Priulus cibum capere, aut vi immisum continere vellet. Atque ita cum nihil illi quicquam morte deliberatius esset, qui neque aquis neque igne, neque ferro, neque altissimâ præcipitatione extingui potuerat, pertinacissimâ quinque dierum inedia consumptus inter unius Pierii lacrymantis ulnas expiravit. Obtruncant ad Colotii ditionem, tactique hujus atrocitatem omnium animi, conversique ad Pierium, & Melinum, & plerique alii, qui casu convenerant, an ita res gesta esset, sciscitabantur. Ea vera nimium fuisse Pierio cum lachrymis affirmante venit ab Augustino Cardinale Triulcio puer, qui Granam magni negotii causa accerferet. Tabellarium enim ex Galliis expeditissimis itineribus advenisse. Quo accepto surrexit Grana, & cum Melinus, fraudatum se diceret expectatione, quod polliciti erant pleraque à Contareno sapienter super his disputata recitare. Erit inquit Grana cras aut perendie conveniendi locus, neque enim tam procul habitamus, ut non unaquaque hora simul esse possimus. Quin potius inquam ego, mi Grana, tuque mi Coloti diem statim, quo iterum conveniamus. Nam ego quoque mirifice cupio, quæ fuerit sermonum hujusmodi catastrophe, percipere, & si vestro cum commodo fieri potest, hic potius apud Melinum congressus fiat; apud quem continuum ego biduum sum commoraturus, dum nulli cubicu-



cubiculum apud Principem adornatur, & ut instrumentum meum, & bibliothecam, quam hic reliqueram, recensere possim. Placuit & Granæ, & Colotio, apud Melinum conveniri, dictaque dies, rempufque pomeridianis horis in crastinum.

## Primi Libri Finis.

## JOAN. PIERII VALERIANI

DE

## LITERATORUM INFELICITATE.

## Liber Secundus.

**P**ostero igitur die cum horâ constitutâ omnes convenissemus : nam Colotius apud Granam pranderat, ego apud Melinum remanseram ; intervenerunt etiam viri duo, nimirum lepidissimi, Thomas Petrosantius, & Joan. Mar. Cathaneus, qui nos eo die plurimum quaesierant, & apud Melinum esse, tandem olfactu veluti quodam investigaverant. Et quoniam ambulasse ex frequentiore anhelitu videbantur, salute data atque accepta, quamprimum sedere jussi sunt. Melinus, qui sollicitos eos animadvertibat, & quasi novi aliquid dicturos augurabatur, nihil contactus, quid vos inquit amici optimi tam anxii, retentique videmini, num quidnam affertis novi ? Utinam inquit Petrosantius nihil hodie afferrem novi, aut quod nuper ex Galliis allatum est, vanum mendaxque nuntium deprehenderetur. Admirati omnes, quonam evasura esset ejus oratio, in eum insipientes sermonis incepti finem expectabamus, ille tamen ne verbum quidem ulterius addebat ; instamus omnes, & quidquid tandem haberet, ne nos diutius celaret, flagitamus. Tristissimum, inquit ille, nuntium vobis affero summum atate nostrâ ingenio, optimâque doctrinâ, & incomparabili eloquentiâ virum, Andream Navagerium in Galliâ defunctum. Ad hæc Grana. Ecqua tibi nuntii hujus fides ? Nam & nos de gravissimâ hominis valetudine, deque abjectâ salutis spe heri literas acceperamus, eâque de causa à Mæcenate meo Priultio vespere accersitus, ut conventum nostrum subito dissolveremus, in causâ fui. Verum illæ ad nos literæ, depositum quidem Navagerium, nondum tamen extinctum admonebant ; datæ autem erant literæ a fundulo 3. Nonas Majas. Quare, nisi quid certius afferatur, non est ut in animum despondeamus, quamdiu enim spiritus inest corpori, sperare de salute licet. Verum quas tu vidisti literas, quo die datæ sunt ? PETROSAN. Extinctus verè nimirum est Navagerius noster, atque etiam elatus, ut nunc nuper tabellarius Regius, cui antiqua est cum domesticis meis consuetudo, mihi narravit, & efferrî hominem suis ipsemet oculis vespertinis horis... Maii... Galliæ oppido, ubi tunc Rex morabatur, inspexisse afferat, Tum Colotius alto cum gemitu, Hoc unum nostræ inquit, aberat calamitati, hoc reliquum erat bonis literis infortunium, ut postquam Hispania nobis Castilionem ademertat, Gallia insuper Navagerium invideret, sicine demum fata perseveranti odio literas insequuntur, & veluti reliquum Italiæ desolarunt, has etiam penitus extinguere constituerunt ? Traxerat quidem omnes animos in mœstitiâ Navagerii desiderium. Verum ubi Colotius Castilionem superaddidit, ita omnes ingemiscere, affligique cœpimus, ac si totidem fratres, aut parentes coram extinctos intueremur. At quoniam, inquit Colotius, nihil jam suave de literatis expectamus, posteaquam hoc veluti auctarium additum est, rectè sermonem, quem heri occæperamus vel hoc uno de nuntio continuandum censeo. Quem obsecro sermonem inquit Cathaneus ? COLOTIUS. Literatorum calamitates, indignosque exitus, & miserabilem penè omnium vicem dolueramus, quasque deseramus Gymnasiorum, atque Parnassi vastitatem. CATH. Tristissimum quidem

R r 2

argu.



argumentum. Sed quo nullum uberius, neque copiosius multis abhinc annis extitit. Sed quorum hominum obsecro memineratis? COLOTIUS. Longum est eos nunc repetendo recensere, sed audies tamen ubi volēs ex quovis nostrum. Nunc quia institutum heri fuit, ut in hanc arenam plerosque alios exhiberemus, tu si potes, quietus, & sedens ausculta, nos sermonem nostrum continuabimus. CATH. Ego verò maximè possum quiescere, neque quicquam mihi gratiùs accidere potest, quam tales viros, qui loquantur auscultare; omnes enim vos ob virtutem, & literas inprimis veneror, & observo. COLOTIUS. Literatissimus scilicet omnes, qui studiis illidem delectantur, non ut plerique obliquè invidià persequeris, sed tota animi sinceritate diligis; conversusque ad Granam, & Melinum, multa inquit heri de literatorum infelicitate exempla recitata sunt, quæ tu Grana, quæ Contareus, quæ Pollio noster, memoriter enarraverunt; sed eorum me omnium maximè funera commoverunt, qui, ante diem desiderati, spem, quam de illis optimam conceperamus, explere fatorem invidià nequiverunt. Non solum enim in his voluptas ea nobis intercepta videtur, quam ex eorum ingenio, & literis aucupabamur; sed eorum etiam causâ dolendum est, quòd in eos fortunam maximè favisse judicamus, quia vix in lucem prodire eos incipientes oppresserit è vestigio. Nam qui ætate jam provectâ extincti sunt, vel aliqua suorum studiorum monumenta reliquerunt, vel sibi & musis tantum vixerunt. Quorum autem extant scripta, si nequaquam esse desierunt, perque hominum ora volitantes vivunt, victurique sunt, dum erunt disciplina, dum Capitolii immobile saxum stabit. In illis verò, qui nihil scripserunt, neque scripturi fuerant, qui, uti faceret, qui mos est hominis, Jovius noster dicere solebat, femina intra renes præ mortua secum extulerunt, parum jacturæ fecimus, quamvis jucunda alioquin eorum consuetudine privati doleamus. Cæterum quos ad latissimam frugem perventuros persuasum habebamus, quorumque fecunditatem ab ineunte ætate largissimam intuebamur, eos meritò miseramur. Quare quòd ita Decanalis obitum immaturum Contareus ingemuerit, & aliorum juvenum vicem deplorarit, non indignum humanitate suâ fecit. At cur nos Romanos nostros ex hoc albo summoveamus, cum miserima tot exempla atque ea quidem recentia ante oculos obversentur? Eos autem nullâ invidiâ Romanos appello, qui & Romæ nati sunt, & qui aliunde huc profecti apud nos, musisque nostras versati communem hanc sibi patriam delegerunt. Igitur si Paulus Decanalis tantæ omnium expectationi præreptus, summum sui reliquit desiderium, meo quidem judicio Bandinus Prolemenus Senensis non minori literatos omnes dolore affectit, qui juvenis admodum Græcis, Latinis, & Hebraicis etiam literis eruditissimus, Mathematicarum cognitione nobilis, stylo ad omnes animi cogitationes explicandas valdè elegans, per studiorum hujusmodi assiduitatem, laboresque, & vigilias in eam incidit valetudinem, quo ex intermissis exercitationibus acciderat; quâ cum gravissimè complures dies ægrotaisset, ante trigésimum ætatis annum ademptus & Lactantium germanum fratrem, ipsum quoque eruditissimum, acerbissima in solitudine, & tam Senensem, quam Romanam Academiam, magno in sui desiderio, perpetuoque morore dereliquit. Inter Romanos autem paucis antè annis non ignobilis fuit Nicolaus Valla, summæ juvenis eruditionis, Græcis, Latinisque literis apprime doctus; qui quidem adolescens admodum ad Homeri sublimitatem elegantiamque Latini carminis facilitate cœperat aspirare. Is tamen nondum alterum à vigesimo ingressus annum, fati quadam inclementia, eruditorum omnium spei surreptus est. Proximus autem annis Bartolomeus Tardolus, Lucæ Medici Camertis filius, eò processerat eruditionis, ut inter Academiæ Romanæ adolescentes, sive profam scriberet, sive carmen fingeret, sive inter Philosophos subtiliter disputaret, admirationi omnibus esset, nihilque de eo non summum, si fata eum ulterius esse permisissent, unusquisque sibi polliceretur. Hic tamen tam probus, tam studiosus, tam acutus juvenis, altero à vigesimo anno iniquissima febre correptus, æternum sui reliquit desiderium. At Laomedon hujus germanus frater, longè minor natus, per fratris studia successerat, ingenio, & eruditione summus ipse quoque brevi futurus, nisi dum bonarum artium studiis operam dabat, pestilentia, quæ Romæ desolationem subsecuta est, interceptus esset, non tam ille quidem Poëtis, quam etiam Jurisconsultis, in quorum castra commigraverat, assidue desiderandus. Horum autem pater Lucas Tardolus, honesta conditione vir, in arte Medica cele-

*Bandinus  
Prolemenus*

*Nicolaus  
Valla*

*Bartolomeus  
Tardolus*

*Laomedon  
Tardolus*



bris, & ob integritatem, & suavissimos mores non vulgarem apud omnes gratiam adeptus, quot, & quantis miseriarum casibus, quot iniquæ fortunæ telis impetitus, quam misero demum mortis genere sublati? Nam ut acerbissimum Bartolomæi filii funus, & incommoda alia, ærumnasque toto vitæ cursu exantlatas dissimulem. Quid illa tam atrox calamitas, quæ repente Romam oppressit, quæ unâ cum plerisque aliis hunc quoque cum universâ familiâ delevit? Invadentes enim in ejus domum Hispani, cum fortunas omnes diripuissent, mox ad familiarium omnium corpora torquenda conversi sunt, ut, si qua occultata essent proferrentur, nulloque in domo & parca, & minimè locuplete, auro, argentove reperto, ad senem excruciantum aggressi sunt, eumque ad putei trocleam, fune manibus post terga revinctis adalligatum, cum sursum, deorsumque jactatum inclementissimè torquerent, accidit, ut vel troclea, vel funis abrumperetur, atque ita senex infelicissimus in puteum corruens ea est aqua suffocatus, uxor & filii tenerioris ætatis summâ in mendicitate derelicti, quamquam Hispani, ut invidiam declinent, Lucam ajunt variis tormentorum generibus excruciatum, cum eis tolerandis impar esset, sponte se in puteum immisisse, atque ita morte voluntaria se ab Hispanorum crudelitate vindicasse. Suâ quoque infelicitate oppressus est Franciscus Palmerius Rom. civis, vir optimè literatus, & Philosophiæ studiis clarus, utpotè qui & Pisis, & Romæ, ea publicè professus erat, ambiguumque faciebat, utrum magis eruditione, an eloquentiâ præstaret. Is, cum apud clarissimum Cardinalem Nicolaum Rodolphum in honore haberetur, triduo antequam Hispani, Germanique Romam insidiis occupassent, urbe excesserat, ærumnosissimamque illam calamitatem casu evitaverat, beneque secum actum arbitrabatur, quòd licet fortunas suas omnes dissipatas intelligeret, illarum tamen miseriarum spectator non affuisset, & in atrocissima captivitate incommoda non incidisset. Vix tamen anno elapso, cum ad urbem veterem Pontifice Maximo jam ex Hispanorum captivitate elapso ad officia rediisset, missus ab eo ad Joannem Baptistam Sabellum, ut discordias inter eum & Cesarinos Romæ proceres olim obortas componeret, re confecta, comæatumque ab eo accepto Principe medio in itinere ita evanuit, ut neque ejus, neque comitum fama, nuntiusve ullus unquam amplius apparuerit. Immaturo verò Joannis Francisci Furnii, viri Mutinensis, sodalis nostri jucundissimi, mors quante literatis omnibus acerbitati fuit? Erat is juvenis Philosophiæ scientissimus, mox & Græcas, & Latinas politiores literas severioribus illis studiis adjunxerat, ad hæc gerendis rebus non ineptus, clarissimi Principis Herculis Gonsagæ, Cardinalis Mantuani, domum universam integerrimè regebat, tantoque illi splendori erat, ut, cum multa essent, quæ Herculeum summo opere commendarent, ex nulla tamen re propemodum majorem consequeretur adorem, quam quòd Furnium seligere novisset, qui & adolescentiam, & res suas omnes tam sanctè, tamque sapienter moderaretur. Is autem Cardinalem suum secutus, qui se ad Pontificem ex hostium manibus elapsam officii causa contulerat, urbe veteri in gravissimam incidit valetudinem; qua brevi consumptus, urbem eam tam excellentis juvenis morte infamem fecit. Quòd verò paulò ante dicebamus universam Tardolorum familiam everfam, quòd pater unâ cum filiis literarum studiis oblectati essent, meminisse alterius fecit, quæ non minori clade afflictâ est. Demetrius enim Chalcondiles, cui Græcæ literæ ætate nostra ab interitu quodammodo vindicata, quòd nunc vigeant, debere fateantur, quot ærumnarum eventis oppressus, miserabilem semper vitam egit? utque exilium, & patriam cum universo Græciæ Regno everfam, & errores, antequam, ubi consistere posset, inveniret, innumerabiles omittam; quam miserum illud fuit, quòd susceptæ prolis tam numerosæ nullum unquam solatium percipere potuit. Filiâ enim incomparabilis honestatis Jano Parrasio in matrimonium collocatâ, eam apud se tam diu alere coactus est, donec post aliquam annorum seriem, eo jam mortuo, Leo Pont. Maximus, conducto Jano, ut Romæ profiteretur, uxorem etiam ipsemet auctoritate sua traduci jussit. Ex maribus autem Theophilum ingenio & eruditione præstantem habuit, qui quòd spei majoris esse cæperat, eò acerbioris patris luctum fecit. Sub doctissimo enim patre, mox & sub Joanne Lascare, ejus contubernio, & clientelâ perquam diu usus fuerat, multum profecerat; Græcisque, & Latinis literis apprime eruditus erat. Profectus hinc Papiam ad altiores disciplinas magnam de se concitaret expectationem,

Joannes  
Franciscus  
Furnius.

Demetrius  
Chalcondiles.

Theophilus.



cum nocte quadam dum apud amicos canatus domum se recipit, ab iis, qui alienæ virtuti invidabant, interfectus est. Hujus verò germanus frater Basilius Chalcondiles summâ & ipse Græcarum, Latinarumque literarum eruditione, sed longè majoris spei juvenis vix quartum & vigesimum ætatis annum agens, cum summâ omnium admiratione Græcas literas in Romano Gymnasio profiteretur, rapidissima correptus febris, florentissima in ætate defunctus est. Magnus ille nimirum futurus, nisi fata tantillum id felicitatis everfæ jam tum Græciæ sine Regni, sine Reipublica ulla, sine viris, propemodum invidissent. Hoc enim erepto, & Musuro sublato, vix unum tantum Joannes Lascaris est superstes, qui literati nomen inter Græcos obtineat. Neque quidem ille ulla unquam vitæ suæ tempestate felix, nisi quantum virtute & sapientia sua omnes, & fortunæ faventis impetus, & valetudinis eiam, qua de artibus omnibus laborat, atrocitatem exuperat. Sed enim cur aliorum ego desolatus domos percurram, cum una maximè omnium, hæc ipsa inquam, ubi nunc fumus, duorum ante diem ereptorum adolescentium funere desolatissima videatur? scio me ad horum memoriam vobis omnibus, & ipsi cum primis Petro Melino fratri refrigerationem vulnerum afferre; sed quoniam eâ de causa hic hodie fumus, ut maximè doleamus, & ademptus nobis tam excellentium hominum consuetudines deploremus, cujus, obsecro, funere magis exacerbari, quemve magis deslere possumus, quam immaturum duorum, Melinorum obitum? Ecquando enim Hieronymi dememinisse poterimus, quem ad maximam ingenii, & literarum laudem genitum, fata nobis quarto & vigesimo ætatis anno tam longâ, tamque cruciabili valetudine vexatum invidere? Sed quid mœstius, flebilisque multis abhinc annis accidit Romanis viris, quam Celsi hujus germani fratris interitus, qui tam magni nominis adolescens, quamvis in ea erat ætate, quæ magna polliceri potius, quam præstare solet, undevigesimo tamen ætatis anno ea de se præbuerat exempla, ut non immeritò bene literatos inter recenseri posset. Nam, quod omnes nostis, & Philosphicis disputationibus publicè laudem sapientius adferri posset. Nam, quod omnes nostis, & Philosphicis disputationibus publicè laudem sapientius adferri posset. Nam, quod omnes nostis, & Philosphicis disputationibus publicè laudem sapientius adferri posset. Nam, quod omnes nostis, & Philosphicis disputationibus publicè laudem sapientius adferri posset.

*Basilus.*

*Joannes Lascaris.*

*Hieronymus Melinus, Celsus Melinus.*

*Longolius.*

*Joannes Bonifacius.*



abnavigaret, accidit autem, ut bona vectorum pars pestilentia eâ contacta, eodem navigio conspiceretur, atque ita ei contagioni impar, delicatior juvenis corpore, tabe eâ correptus est. Dum verò totam Italiam oram auxilium implorantes, perlustrarent, à portibus & stationibus omnibus exclusi, neque quidem panis, neque aqua facta copia, secundum littora Lucania oberrantes, & ipse, & plerique alii morbone, an fame teterrima, contabescerent incertum: in eadem tamen omnes navi defecere. Neque unquam potui cadaver ejus diligentissime perquisitum invenire, ut pro incomparabili ejus erga me pietate paria persolverem, tumulum illi tamen in litore inanem constitui, & magna manes ter voce vocavi. Dessevi etiam lugubri carmine tam probi vicem adolescentis, qui si fata impia rumpere potuisset, vix alium aetas nostra fuerat habitura, quem illi styli gravitate, judicioque, elegantia compararet. Ad hæc Petrosatus sive joco, ut afolet, sive rei veritatem inquisiturus: Ecquid, ait, Alcyonii stylium forsitan parvi pendere videris Cathanzæ, cui tam multi primates viri primatum offerebant. Non displicisset mihi Alcyonius, excepit Cathanzæ, si quantum stylo profecerat, amicorum consilium de rebus adhibere voluisset, qui nisi ipsimet sibi tantum arrogasset, futurus omnino fuerat è primoribus; multam enim Græcis, Latinisque literis operam impenderat, & disciplinis variis oblectatus erat. Verùm is eo primum infelicitatis incommodo flagellatus est, quòd dum de literatis omnibus male sentit, dicacissimam omnes obtreccatione lacerabat, unde omnium tam doctorum, quàm imperitorum in se odium concitavit. Fortunarum mox direptionem Columnensi sacrilegio passus, mox Hispanorum, Germanorumque incurSIONIBUS occupata Roma, dum vitæ consulturus suæ Pontificem Clementem in Arcem Æliam confugientem subsequeretur, instantibus à tergo grassatoribus, sulfarea glande Brachium trajectus est. Ubi primum obsidio soluta est, rebelles in Principem animo, qui hominem fovendum susceperat, ad Pont. Calumniam Cardinalem transfugit, apud quem pauculos commoratus menses vitam morbo finivit; atque utinam de pietate nostra melius sensisset, ne vitæ finem, quod indignissimum est homine literato, infidelitatis labe contaminasset. Et quoniam in hujusmodi dictionem incidi, liberaque, ut video, unicuique facultas datur, quem cuique in mentem venit, venit, deplorare, neque tragœdia hæc per partes dispensetur, sed hydræ more uno vel alio abscisso capite, alia atque alia suboriuntur, enarrabo vobis conjunctissimi familiaris mei Christophori Batti exitum indignissimum. Nostis autem omnes Parmensem hominem, multæ lectionis virum, Græcis, Latinisque literis optime eruditum, copiosè in versu faciendo faciendæ, prosa non ineligi, Philosophiæ non ignarum, multis tota vita calamitatibus labefactum, paupertate, naufragio, peregrinatione per avia montium, ut instantes piratas Mauros evitaret, bonorum jactura, & incommodis plerisque aliis afflictum. Romæ is Præsulibus aliquot operam & à secretis; & à literis navavit, quorum demum moribus offensus, suo decreverat jure vivere, sed Arretinæ mox præfectus Cathedra, paucis inde mensibus, dum impar eorum factioni est, qui fautoribus suis adversabantur, fœdisque calumniis hominem incessabant, abjurare professionem coactus magno cum dispendio Bononiam in contubernium meum se receperat. Inde à Parmensibus civibus accersitus, in eâ urbe patriâ honestissima est cathedra decoratus. Hic ille reliquum vitæ tempus, ac si demum in optatissimum portum confugisset, cum Musis per summum otium acturum se conceperat. Verùm ecce Galli paulò post Duce Lutrechio, sub speciem ferendi auxilium Clementi in Hadriani mole ab Hispanis obsessò, Parmam ingrediuntur, deque eâ opprimenda dum cogitant, dum causas queritantes & hunc, & illum, atque universam denique civitatem omni calumniarum genere persequuntur, eo consilio, ut excitato per cives tumultu, si quis impatientior fuisset, quàm indigna illa ferre posset, aliqua per urbem se viendi daretur occasio. Igitur qui apud Christophorum hospitio susceptus erat, liberaliterque tractatus, impurissimus vir beneficium hospitem furti sibi facti insimulavit, adeoque pertinaciter nullis indicibus reum egit, ut eum torqueri etiam passus sit, civibus omnibus, qui probitatem hominis noverant, eam injuriam deplorantibus. Æstate mox sequenti epidemia in Parmenses debacchante, contagione eâ sublatus est, quodque omnium infelicissimum fuit, scripta ejus, quorum bona pars victura erat, una cum reliquo instrumento, ut pestilentis tempore fieri solitum, concre-

Christo-  
phorus  
Battus.



Daniel  
Gajetanus

concremata sunt. Et ut reliquos hujusmodi studiorum professores, quos noverim cis, aut ultra Padum, in memoriam adducam. Video enim literatos eos esse vobis, qui literas vel voce, vel scriptis illustrare conati sunt. Tres igitur ex hujusmodi classe vobis memorabo. Ex quibus Daniel Gajetanus Cremonensis, magni nominis Grammaticus, annos multos summa cum laude docuerat, & quod rarissimis accidit, in patriâ urbe honestissimâ conditione profitebatur. Eius famâ impulsus Franciscus Marius Sphorcius, Infubrum Dux, Mediolanensi eum cathedrâ prædicerat. Cùm ecce Mediolanum ab Hispanis, ejusdem Ducis fociis occupatur, exactioque Principe Daniel quoque in procellosâ eâ turbâ, & confusione rerum omnium, cùm nullus bonis artibus locus esset, miserrima quæque præferre cogitur. Infubriâ demum universa bello exardescente reversus Cremonam & curis, & egestate confectus, in maximarum quasi concursum arumarum venerat, quibus undique afflictus, & jam omni spe salutis orbatus, mendicabundo similibus in eâ ægritudine consumptus est.

Tadius  
Ugoletus.

Alter fuit Tadius Ugoletus, patriâ Parmensis, vir maxime omnium unus, cui fortuna sit arridere visa, dum juventutem apud potentissimos Reges magno in honore peragit, eorum favoremque in se propensissimum sentit. Is tamen Matthia Pannoniæ Rege defuncto, multisque totâ Italiâ Principibus defecis, in patriam, re admodum tenui, reversus ad didascalicas nugas se conferre coactus est; quo ex labore vix tantulum adsequebatur, quod ad necessaria vitæ sustentanda sufficeret, in eâ demum inopia defecit; neque quicquam ex magnis, & multis operibus, quæ cùm labore, & diligentia lecta inchoaverat, spatii exclusus iniquis, relinquere potuit absolutum. His tertium addemus Stephanum Nigrum Cremonensem, Græcarum literarum studio nobilem, quas Mediolani per annos multos docuerat. Incidit is in eam temporum calamitatē, qua nulla multis ab hinc annis illi urbi ærumnosior accidit. Eâ enim ab Hispanis oppressa, bono cuique viro illic esse miserrimum fuit. Nam in summa cladiorum impunitate omnia sine legibus, sine judiciis, sine jure, sine fide, relicta erant direptionibus, & incendiis. Tam misero igitur tempore, & salariis, & alia omni Minervali mercede defraudatus, ad extremam reductus paupertatem eâ temporum perturbatione, dum turbulentis tot, tantisque rebus urgeretur, neque ulla ex parte allevationem ullam speraret, in lacrymis, & sordibus infelicissime defecit. Sed nolim, dum Tranpadanos recenseo, Andræ Maronis oblivisci, cujus felicissimam pangendis carminibus extemporalitatem nemo unus ætate nostra non admiratus est, solitus ille quidem, ut super eo Pierius noster cecinit,

Stephanus  
Niger.

Andreas  
Maro.

Mille ex tempore carmina erudita,  
Quis nil sit luculentum, inexploratum,

Nil absurdum, & inane, nil hiulcum, emodulari quotiescunq; amicorum rogatu invitaretur. Id quod tribus præcipue versuum generibus indifferenter facitare confverat, sive Elegiaum, sive Phalæcium, seu Sapphicum Hendecasyllabum deposceres, nihil contatus, quod proposuisses argumentum, heurum quoque carminis numero continebat. Hujus tamen vitæ exitum infelicissimum talio; indignissimum ingenio, nemo non misereatur, quanquam & reliquâ vitâ infelix potius, quam beatus haberi potuerit. Qui licet usque adeo eruditorum omnium commendatione, & Principum, quos colebat, judicio probaretur, à nemine tamen tantum consequi potuit, ut non alienæ quadre victimæ per officia, quæ faciebat, emendicare cogeretur. Is denique in acerbissimas illas Romæ incidit calamitates, quibus oppressus captivus actus, fortunis omnibus, quantulacunque essent, exproliatus. & indignissimis modis malè habitus, ærumnosissimam inde vitam per menses aliquot transvivus tamen è latronum manibus elapsus capite ære gravi redempto, Capuam, ubi tenui admodum sacerdotio potiebatur, migrare sæpius cogitaverat. Verùm librorum, atque adeo poematum suorum desiderio detentus, eorum recipiendorum spe urbe excedere non poterat, atque in super ob ægritudinem, & incommoda, quæ diu perpressus fuerat, toto erat corpore debilitatus, seque per universam cutem suffuso, inaurata palladii statua videbatur. Igitur is dum mentes aliquot scriptis suis investigandis frustra consumit, in magnâ rerum necessariorum inopiâ, & illorum inveniendorum desperatione, tantis malis fractus, cùm se oleum, & operam perdidisse contingeret, de mœnore & ægritudine in febrem illapsus, paucissimorum horarum spatio, loco ignobilis &



solitario, diobolari in tabernulâ, re nulli amicorum cognitâ, qui nulli hominum, dum vivebat, ignorabatur, demum moriens omnium oculos fefellit. Atque ita nunc & Maronem ipsum, & lepidissima ejus scripta, eruditissimus quisque desiderat. Fuit nimirum is Portunensis patriâ Foro Julii oppido, quod nonnulli Portum Naonis vocitant, cujus tamen pater Brixia ferebatur oriundus. Inde Petrosantius: Quid, inquit, & Romam ipsam, & Italiae regiones ferè omnes perlustratis, & unam tantum Etruriam declinatis, cum clarissima illic literarum lumina fuisse, neque minori calamitate extincta, quam bona eorum pars, quos memorastis, multi meminerint. Tum Melinus: Eram ego, inquit, eos recensurus; sed posteaquam te hic adesse vidi, tuas esse partes Etruscos proferre judicavi, eaque de causâ me continueram. Quod si paratus es dicere, te libentissimè, ut pro his omnibus loquar; auscultabimus. Excepit Petrosantius; Vellem quidem lætius mihi dicendi argumentum dari, ne vulnere sermonis istius asperitate refricarem. Sed quoniam, è re nata colloquii istiusmodi genus incidit, eâ præcipue de causâ species hæc non parum oblectare videtur, quod veteram omnium ingenuitatem indicat, qui, dum tot probos homines per querimonias, & deplorationes desideratis, summum animorum vestrorum candorem indicatis; & illi reviviscere quodammodo videntur, quoniam in bonorum memoria versantur, quorum pars bona nisi vestrae dictionis testimonio cognita esset, eos vetustas, ut alios nimirum multos, oblivione obruisset. Sed quoniam Etruscos à me recenseri cupitis, unde potius incipiam quam ab eo, qui totius Etruriæ lumen esse, caperat? Fuit autem is Petrus Medices Laurentii filius, vir & Græcis, & Latinis literis, optimè, *Petrus* quod omnes fateamini, peritus. Nam hoc & scripta ejus indicant, & quædam ex Plutarcho, de *Medices.* more Conjugalî, quæ vidimus, traducto ab eo, locupletissimè testantur. Sed vices hic quoque suas expertus, post Laurentii patris obitum dejectus de Florentini dominiî administratione per factiosos, qui vitæ etiam ejus insidiabantur, cum variis per terrarum orbem peregrinationibus agitatus esset, auxilium atque opem undecunque imploraturus, Gallicæ demum adhæserat factioni: sed victo, fugatoque ab Hispanis juxta Lyrim eorum exercitu, Caseta ipse, ubi cum uxore confederatus, aufugere parabat; dumque navem ascendit, mari procellis commoto, fatiscente statim navi, sive potius multitudine insipientium oppressâ, cum eâ ante conspectum Alphonsinæ uxoris, in ipso portu urbis à vorticibus devoratus est. Simili mortis genere sublatus est Marullus Tarchoniotæ; qui quantæ fuerit eruditionis, hymni & epigrammata ejus, quæ magna cum laude omnium in manibus versantur, facillè indicant, tum inchoatus liber de Principe eorum omnium judicio, qui opus inspexere, antiquitatem in certamen provocare judicatur. Hic tamen tam sublimi ingenio, tantaque doctrinâ vir, quamdiu vixit, militari stipendio sese alere coactus, in assiduo semper labore vitam traxit infelicissimam, nullius unquam Principis liberalitate ita adjutus, ut in literarum etiam se conferre posset. Demum dum Siclam, qui olim Cecina dicebatur, fluvium vel exigua tunc aqua fluentem ingressus, sive equum potaturus, sive aliâ de causâ tantillum immoratus, sensit equum anterioribus pedibus ita in arenas alvei semper infidi voraginosas absorberi, ut emergere indignatus eum calcariibus adurget unâ cum eo in cœnum provolutus est, impactoque crure sub cantherii ventrem, cum neque surgere, neque se inde exolvere posset, modica admodum ejus profluentis aqua suffocatus interiit. MELINUS. Verum igitur fuit, quod meus Pierius jam tum puer de Marullo cecinit. CATHAN. Quidnam? illud musici recita obsecro, quoniam libenter ejus cantelas ausculto. MELINUS.

Cur idè fluctus contra conaris? in undis  
 Opperiisse horres cur Helicone satius?  
 Igneus ut gelido vigor extinguatur in amne  
 Forte times? at qui, sapsit ignis, aqua.  
 Non hoc, inquis, habet malè me; quòd miles, & acer  
 Sim, doleo: sub aquis militem obire pudet.  
 Ab ne indigneris, miles licet impiger astris  
 Hac per vulgatâ fortibus ire via.



Hac pius Aeneas, & bello magnus, & armis,

Hac Roma fertur Romulus esse pater.

Debentur caelo sortes: caelo ignis, & aer,

Undaque supposita est: infima terra tenet.

Scendenti à terra ad caelum stat limes in undis

Primus: age hac caelum scande Marulle viâ.

CATHAN. Meritò quidem consolatione indigebat. Nam serunt illum primo statim casu vehementer excanduisse, utque erat iræ impatiens convitia, & maledicta in superos detorsisse. Paucis autem ante annis Angelus Politianus, nullius ignarus eruditionis, & disciplina, cum in adversa Medicorum procerum tempora incidisset, inclinantibus jam Petri, quem ipse literis instituerat, rebus, in eam incidit aegritudinem, ut in multis, & variis molestiis, cogitationibusque consolationem nullam admittere voluerit, atque ita demum dolore, maestitiaque confectus, expiravit. Quodque illi longè fuit infelicius, conficta in eum turpitudinis fabulâ maledicentissimis obtreccionibus profusius, calumniatusque est, utque eâ gens promptissima est ad insultandum, in invidiam Petri ipsius ignominiosam, aliam mortis voluntariâ causam universo terrarum orbi magna cum ejus invidia promittendo copiam, & facilitatem omnes admirabantur, quique aliquot variae eruditionis voluminibus benè literati hominis nomen adsecutus est. Is autem cum rusticationem pararet, equum inscensurus, ab eo ferociente excussus, mentum ad parietis angulum adfixit, elisaque lingua, expedito nunquam inde sermone effari valuit. Sed balbutienti similis, eo nunquam incommodo desistit afflicti, qui videret arma eâ sibi mutilata, quorum usu magnam apud mortales gloriam acquisisset; ut reliqua misla faciam, quæ publicè hominem angebant, quòd multa contra voluntatè suam, & præter opinionem accidisse videbat, ut qui quorundam hominû potentiam patientius ferre non poterat, minusque ullam ab hujuscemodi molestiis aberrationem invenire finivit. Fuit & Hieronymus Masianus Etruscus genere, qui multæ lectionis, emunctissimi que judicii vir, Romæ aliquot Principum a secretis fidelè, & diligentem operam navavit. Verùm cum ingratos potentiorum aliquot animos expertus perquam diu fuisset, sibi demum vivere decreverat, suaque demum curans, sperabat vitæ reliquum in otio transigere, cum ecce sicariorum tempora Hispanis, Germanisque, ad Romæ direptionem, irruentibus, incubuere. Hic ille amissis bonis omnibus, captus, venditus, redemptus, moxque alii, atque alii in captivitatem traditus, cum aliu Romæ demum effugisset, & sexcenta in itinere vitæ pericula adisset, à rusticis latronibus, tunc vias omnes obsidentibus, malè sæpius acceptus, Venetias tandem applicuerat, ibi in aliquam se latebram abditurus, ubi, quod dicebat identidem, nec Pelopidarum nomen, nec facta audiret. In posterum vi tempestatum, & concursu calamitatum labefactatus, atque convulsus, tamen horum malorum initia multò ante viderat, & ventura prædixerat; in tantâ tamen rerum omnium amissione, & quod gravius angebat, recuperandi, aut parandi unquam desperatione, dolori impar effectus, apud Thomam Campegius, Feltrensem Præsulem, vix viginti dierum spatio in humanis fuit. At Scipio Carteromachus Pistoriensis, quæ literatura fuerit, sive carmen Græcè, sive Latine pangeret, sive orationem elucubraret, ex multis ejus scriptis unicuique erudito viro licet inspicere. Plurimum verò proderat ingenii, abditissimos quoque locos disciplinis in omnibus interpretando, ut facile diceret, nihil ad hanc diem scriptum, quòd ille non legisset; nihil ab eo lectum, quòd non in aliorum frugem benignissime communicaret. Is Venetiis magno semper in honore habitus, cum duris bellorum temporibus tantum instare malorum Venetiis inspexisset, neque in eâ rerum perturbatione literarum studiis, & otio, quod tanto affectabat opere, locus esset, abire & ipse coactus Romam se contulit, ubi à Francisco Alidoxio, magno tunc nominis Cardinale, in amicitiam adscitus est. Eo mox intra Ravennæ colonia occisione sublato, non sine suorum studiorum jacturâ Romam reversus, apud hunc Colentium nostrum, cujus in litteratos omnes liberalitatè nemo nostrum non expertus est, quàm conjunctissime convixit. Mox Leone ad Pontificatum adsumpto, cum prima illi Principi in se disset cura, ut Julium patrualem fratrem in summi ordinis collegium cooptaret, & jam hominem sacris Florentino-

Angelus  
Politianus.

Marcellus  
Virgilius.

Hieronymus  
Masianus.

Scipio  
Carteromachus.



rinorum præficeret, Scipio illi studiorum socius datus, cui quidem, ut & probatissimi mores, & literæ ejus optimè exigebant, carissimus esse cõperat, neque dubium, quin & ipse de ornando studiorum socio cogitaret. Accidit verò, ut paucissimos post menses, ex quò à tanto Principe in amicitiam acceptus fuerat, repentinà correptus febre, Pistorii prius moreretur, quàm ullam favorabilem sibi auram aspirare sensitset. Eodem in albo reponendus Joannes Oricellarius sum-  
*Joannes Oricella-rius.*  
 mæ vir integritatis, quiq; literarum studia vel à teneris unguiculis sectari cõperat, & apud Bernardum patrem eruditissimum virum, & apud Mediceos, hujusmodi studiis in eà domò florentibus, educatus fuerat. Erat is Leoni Decimo Pont. Max. amittinus frater, neque ullus erat, qui tum morum, tum literarum, nobilitatis, & consanguinitatis gratia, non eum speraret ad Cardinalatus apicem in horas evehendum. Sed fortuna illi quosdam oppofuerat, ad eadem aspirantes, & parem cum eo gratiæ gradum affectantes, quibus Leo quamvis adblandiretur, homines tamen non usquequaque probabat, quòd patrem, seque, & familiam suam omnem eorum infidiis impetitam, & magnis calamitatibus affectam recordabatur. Verebatur igitur hos sacris patribus admiscere, & eorum vires, quos hostes perpeffus fuerat, augere. Neque tamen illi ferè integrum erat Joannem in Cardinalem cooptare, quin & eos affinitatis vinculo sibi junctos adscisceret. Interim dum animi pendet Pontifex, repentinò intercipitur morbo Oricellarius, quòd ejus auxilium calamitatem, eodem ipso tempore Pontificis Orator apud Franciscum Galliarum Regem infelicitè agebat. Nam Leo Regem armis laceffiverat, & Regno Italiæ dejecerat. Ad ridere mox Joanni visa sors melior, quòd haud ita multis post mensibus Julius Medices Cardinalis Leonis frater patruelis Pontificatum adeptus est, Qui Joannem statim moli Hadrianeæ præficeret. Ita enim soliti Pontifices animum erga eum, quem plurimi facerent, indicare; nam quos eà præfectorum honestarint, nullà mox patrum controversiã in Cardinalem, ubi adhibuit, adsciscunt. Quòd vix unquam, nisi Pontificis interveniente obitu, fallere visum est. Hic igitur Oricellarius, dum se totum literarum studiis restituit, & fortunæ demum fallacias declinasse haud temerè sibi persuadet; dumque Clemens de more quòdam suo contator ornandi hominis diem de die ducit; ille in rapidissimam illapsus febrem, magnæ doctõrum hominum spei præreptus est. Neque indignus est Jo. Franciscus Roboreus, qui hos inter locum obtineat suum; & quamvis Etrulos tantum enumeratum me initio proposuerim, eventi tamen similitudo facit, & amicitia, quæ mihi cum eo Præsule conjunctissima fuit, ut ejus debeam meminisse. Juvenis is & literatura, & moribus, & nobilitate generis insignis, Bononiæ primùm, mox Perusiæ literis, & disciplinis optimis fuerat institutus, qua fama impulsus Julius Secundus Pont. Max. conjunctum sibi majorum consanguinitate juvenem vix alterum à vigesimo annum agentem arcessiverat, eaque ætacula Arci Alie præfecerat. Dumque ibi vitam is & honestam, & literariam agit, sæpius à Julio admonitus adesse tempus, quo eum in Cardinalium Senatum adopturus erat, & jam nomen præscriperat, quo eum inscribi placebat, edixeratque ingenii minimè varii Princeps, ut ejus nominis ergo Presbyterum profiteretur, professus erat, stolas pararat, scyrmata, sceptrum argenteum, fasces, manticam, & quæ ad ejusmodi dignitatis ornatum necessaria videbantur, quin & dies, quæ hæc transigenda fuerant, dicta. Cùm statim Pontificiæ copiæ apud Ravennam à Gallis fusa, fugatæque Julium ab aliarum rerum cogitationibus avocarunt; dumque modo salutis ipse prospicit suæ, modo Gallum ulcisci parat, modo eum Italia ejicit, in morbum incidit, quo intra paucissimos dies adsumptus clarissimi juvenis spes, cogitatusque omnes evertit. Idem tamen à Leone Decimo, qui Julio successit, ob navatam fortiter, & sapientissimè operam in arce custodienda, Pontificisque thesauris ingentibus à direptione servandis contra multorum infidias, qui eis inhiabant, in spem iterum erectus, & Pontificis pollicitationibus, & Francisci Galliarum Regis favore fretus, qui cum ad finitatem contraxerat, nepte ejus Monæci Domina Hieronymo fratri germano suo nuptui collocata, dum Regem in Æmiliam ad Pontificis auctoritatem se conferentem comitatur, ex itinere in morbum incidit, quo pauculos admodum dies Bononiæ conficiatus, dum & Rex, & Pontifex de eo ornando agitant, ipse sextum & vigesimum nondum ingressus annum & honoribus, & humanis omnibus cessit. Sed jam revertor ad meos



*Petrus Martellus*

Petrus Martellus Florentinus inter atatis suæ literatos non ultimū obtinuit locum, sive tu Græcā, sive Latīna, sive etiā Hebræica posceres: multæ etiā lectiōnis in omnibus disciplinīs suis epistolam eleganter, epigrammata acutē & eruditē conscripsit. Indignissima tamen totius itere corporis valetudine excruciatu, articulis miserabiliter affectis, paralyti, & stomachi cruditate, & sexcentis aliis incommodis afflictatus diutissimē decubuit. Quæ morbi & magni, & diuturni atrocitate factum est, ut doctissima, quæ parturiebat opera, parere non potuerit. Sed ea tamquam abortiva, & imperfecta reliquerit, magna quidem nominis sui, sed longē majori studioꝝ omnium iactura. Quatuor tamen libros exactissimæ interpretationes in Mathematicas disciplinas Braccius ejus filius ab interitu vendicarat, vel ipsius auctoris de se testimonio absolutos, atque si Barbarorum manus effugerant, Braccii ipsius diligentia in Arcem Æliam asportati. Sed enim in Petri Alcyonii manus cum incidissent, ita suppressi sunt, ut nusquam amplius apparuerint. Etruscus fuit

*Gerius Valdambrinus*

& Gerius Valdambrinus, Aretinus domo, vir in literarum studiis toto vitæ tempore versatus multorum Cardinalium à secretis, à Julio Cardinali Mediceo, qui nunc summus Pontifex est, virtutis ergo amicitiam acquisitus, & in honore habitus, vix altero ejusdem Pontificatus anno inui potuit; repentinā enim morā unius vix horæ momento sublatus, honorum, qui homini destinati erant, immunis fuit.

*Vitellius Typhernas*

Vitellius autem Typhernatus longē Princeps, eo mihi admirabilior videtur, quo etiā rarior in mirabilibus, Principibusque viris, literarum delectatio. Is & Latīnē, & Græcē peritus morali etiā Philosophiæ, præter summum Historiæ, & Cosmographiæ studium, operam dederat non indiligentem, ut non immeritō inter literatos locum mereatur. Sed ut ad genus mortis infelicis, quæ de agitur, veniamus; Columne, nisi bello, quod à Clemente gestum est, in sacrilegii Romani castigationem omnia prudentiā suā rexit, futuraque erat auctoritas Pontificia eo duce tutissima. Sed paucis ante diebus, quā latronum exercitus Romam opprimeret, Vitellius subitariā morte præreptus expiraverat. Sed & duorum juvenum crudelis exitus mihi venit in memoriam, quorum

*Jacobus Jacettus*

uterque majestatis læsæ reus miserabiliter occubuit. Jacobus enim Jacettus, juvenis & Græcē, & Latīnē egregiē peritus, pangendi carminis auctor non illepidus, Florentinam cathedram obtinebat; sed infelici suo fidere conjurationis in Julii Cardinalis Medices eadem certo die patrandam conscius fuit; quæ patefactā, captus ipse, & tam nefandi sceleris convictus, Senatus Florentini judicio

*Almericus Miniates*

lecuri percussus est. Almericus Miniates promptissimæ, & elegantis extemporalitatis in versu faciendo, quod potentiores quosdam maledico profciderat carmine, ab Horatio Ballone in quo strangulatus est. Et quoniam Colotius Romanos eos appellavit, qui Romam sibi contubernium delegerunt, eadem ergo ratione inter Etruscos eos ponam, qui Florentiæ vel profecerunt in literis, vel

*Picus Mirandulanus*

alios instituerunt, quorum duo præcipui. Mirandulanus Picus, & Hieronymus Savonarola. Picus enim literaturā supra humanas vires antea cæcitate nullā controversiā summus, multa totā juventute incommoda perpeffus, causam apud Alexandrum Sextum dicere coactus, quasi de Christianā pietate malē sentiret, accusatus. Absolutus demum, Florentiamque reversus, ubi studiorum suorum Musæum instituerat, anteaquam virilitatis annos ingrederetur, masculinā quādam non levi de causā affectus tantam concepit ægritudinem, ut quodammodo vitam aspernari videretur, atque

*Hieronymus Savonarola*

inter suspiria, & occultas lamentationes, ægritudine sua nulli amicorum communicatā videntē eā ætate, desideratus est. Savonarola autem Divi Dominici sacris initiatus non modo literatus, sed magnæ apud literatos omnes auctoritatis, Christianæ disciplinæ Concionator egregius, admirabili omninō doctrina, nisi pravo eam ingenio contaminasset, postquam facundia frentus sua Florentinum populū eō compulerat, ut ab Alexandro Pontifice Maximo, atque adeo ab Ecclesiæ Romanæ institutis dissentiret, majoremque sibi adrogaret auctoritatem, quā ab ipso rerum opifice per manus traditam adsecutus esset Petri successor Rom. Pontifex; de doctrina sua, deque Dei familiaritate, quæ se ad colloquium usque dignatum palam profitebatur, fidem æquo pertinacius tueri perseverat, mendacitatis, & impuræ demum convictus, impietatisque damnatus, in urbis quam deceperat, medio cum asseclis aliquot concrematus est. Hic Melinus. Cursum nunc audire velim



Velim, qui se quoque magnam licentiorum carnificinam inspexisse dicit: huic igitur dicendi partes demandemus, & cum nemo eo libentius loquatur, præter ipse linguam, nos aures adcommodabimus. COLOT. Rectè admones Petrosancti, nam & ipse mirabar, cur tamdiu tacere posset, & quantum in me erat, libentissime loquendi copiam illi facere cogitabam. CURSIUS. Ego verò vobis loquentibus sermonem abrupte aggressus essem? non sum tam impudens, neque tam imprudens. Sed quoniam me dicere imperatis, eorum sequar argumentum, quod jam promptus est, de his, qui violento mortis genere sublatis sunt, quorum duo mihi præcipue indigni passi videntur, Pandulphus Pisarenis, & Cynthius Anconitanus; Pandulphus enim non jurisconsultus tantum scientissimus, verum & in politioribus literis, & disciplinis versatus, aliqua ingenii, & eruditionis suæ monumenta posteritati legenda reliquerat. Sed incidit is in res novas, & rerum, quæ sub Valentino Cæsare evenerunt, vicissitudines, suspensusque Principi, quod adversa factionis esset, laqueo vitam finire iussus. Anconitanus verò Cynthius poeticis studiis valde celebris, acricque & eleganti ingenio præditus, Matthiæ Pannonii Regis amicitiam promeruerat, à quo magnis honestatis honoribus, & donis, præclaram agebat vitam; eoque Principe jam defuncto, complures annos vixerat honestissime. Domesticis demum insidiis, & fratris germani scelere asperè, & acerbè accusatus apud Julium Secundum Pont. Max. quod contra sacerdotum imperium sentiret; vir alioqui simplicitatis integerrimæ, summâ cum diligentia captus, & in Phanensi arce perpetuo carcere condemnatus, vitam miserabiliter finiit; quanquam non defuerunt & aliæ calamitates, quæ sub Alexandri Sexti dominatione hominem extorrem fecerunt, & miserabili exilio per annos aliquot vitæ subsidia ex amicorum liberalitate emendicare coegerunt. Quod verò Cynthius Phani desideratus est, Octavii Cleophili Phanensis viri reminisci facit, qui & ipse fortunam expertus est iniquissimam. Post multos enim in liberalibus artibus labores exhaustos, dum sibi querit requiem, uxorem Centumcellis acceperat, quam dum in patriam traducere cogitat, à socero, quod eum dote fraudaret, veneno sublatus est. Quid verò vobis Dicam de Sigismundo Xantho Carpeni, amico meo suavissimo, quem literarum studiis clarum, præsertimque Philosophiæ professorem disertissimum Gymnasia sunt admirata. Verum ubi Alberto Pio Carporum Principi adhesit, Regum negotiis procurandis adhibitus, dum expeditissimis itineribus Legatus ad magnos Principes dimissus iter Verona arripit, ante lucanis horas antequam Tridentum appropinquaret, ab hospitis famulo, qui nocturni itineris dux adscitus erat, spe prædæ peremptus est, numerofo filiorum grege in egestate relicto. Cæsaris autem Sacci repentina mors uni illi forsan commoda, nobis verò, qui jucundissimâ ejus lepiditate fraudati sumus, visa est acerbissima. Laudensis is fuit, Jacobi Triultii familiaritate clarus, ejusque factionis adsecutor acerrimus, vir alioqui Græcè, Latineque doctissimus, versu, profaque oratione non inelegans, Mathematicarum optime sciens. Dum autem apud Scaramuzam Cardinalem Triultium à cenâ fabulatur, subitaniâ paralyti suffocatus interiit è vestigio. Longè autem diverso mortis genere sublatus Fabius Calvus Ravennas, summæ senex integritatis, qui non dies tantum extremos, sed universum vitæ cursum per ærumnas & incommoda transegit. Latinis iste, Græcisque literis eruditus egregiè, nunquam tamen neque sanctissimis moribus, & continentia summâ, neque multarum vigiliarum lucubrationibus, laboribusque tot, quos in sexaginta Hippocriti libris traducendis, edendisque exhaustis, tantillum consequi potuit, quod frugalissimæ alioqui vitæ necessaria sufficeret, in egestosa semper inopiâ à Principibus habitus, rejectus, atque contemptus. Ad hæc in difficillima Romæ tempora, captivitatem scilicet, & deprædationem incidit, & quæ reliqui omnes Romæ tunc miserima perpeffi sunt, ipse quoque à fæditissimis latronibus ærumnosissimo rerum omnium suarum exitio pertulit. Nam cum intolerabilia, quæ flagitabantur tributa, vir Codro, & Iro pauperior, solvendo non esset, neque tamen captivitate solveretur, rus Syllanum ab hostibus tractus, fame demum victus, vitam in xenodochio quodam cum morte miserimâ commutavit. Sed bene illâ de parte evenit Fabio, quod labores ejus Miniti Calvi curâ, diligentiaque editi paucis ante diebus, quam clades illa in urbem Romam debaccharetur, immortalẽ homini gloriam attulere: quod in Theodoro Gaza longè diversum fuit, qui saturninâ

Pandulphus.

Cynthius Anconitanus.

Octavius Cleophilus.

Sigismundus Xanthus.

Cæsar Saccus.

Fabius Calvus.

Theodorus Gaza.



quadam iniquitate bonam suorum fatuum partem absumpfit. Tanta enim ille eruditionis vir, quantæ multis abhinc annis nemo Græcorum, dicere aulam, etiam & Latinorum fuit, cum divinas propemodum elucubrationes in Aristotelis animalia, quam historiam Latine legendam, repræsentarat, Xisto Quarto Pont. Max. nuncupasset, sperans scilicet Principis ejus beneficentiâ quæsitum per tot labores vitæ subsidium non deparcum se consecuturum: neque tamen plures quàm aureos quinquaginta, quasi magnum ab eo, à quo se totum inauratum iri speraverat, retulisset; studiis indignatus suis, quod tam parca sibi laborum & vigiliarum suarum merces tributa esset, nummos eos primùm in Tyberim abjecit, mox ipse hujus indignitate rei exultatus, insolabili contabuit ægitudine. De dolore periit & Jacobus Constantius Phanenensis, vir &

Jacobus  
Constantius.

literaturâ, & integerrimâ probitate insignis, qui bonas literas diutissimè docuerat; cumque Pisauri honestissimâ conditione profisteretur, in Mediceum incidit bellum, veritusque Laurentii Ducis potentiam, quem rerum potiturum multò ante providerat, rebus suis familiaribus caverat, ut à militum eas licentiâ vendicaret. Namque in arcem Mondulphorum munitionem argentum, aurum, vestem, libros, & scripta sua omnia asservanda transierat. Accidit autem, ut id præcipuè oppidum Laurentii Medicei Ducis virtute caperetur, vique ingresso milite nullo discrimine diriperetur. Quo ille accepto nuntio, cum de scriptis tantum suis sollicitus esset, neque ulla eorum recuperandorum spes adfulgeret, gravem adeò molestiam ex eâ jactura contraxit, ut inde valetudine, & mæore insolabiliter offensus gravissimè ægrotare cœperit, & mox, cum nullo modo dolorem exhauriri pateretur, jacturam laborum suorum immoderatus ferens, morbo, & cura eâ confictatus occubuit. Periit & jactura rerum offensus Trypho Dalmata, vir cui nostra ætas rarissimos habuit, quos Latinarum, Græcarumque literarum cognitione conferre posset. Erat insuper Philosophiæ studiis deditissimus, in versu faciendo elegans, acutus, inferre posset. Erat insuper Philosophiæ studiis deditissimus, in versu faciendo elegans, acutus, inferre posset.

Trypho  
Dalmata.

geniosus, & tersus, educatus Venetiis apud clarissimum literaturam virum Hieronymum Donatum, mox Albertum Pium Carporum Principem secutus, reliquum vitæ tempus auspiciis ejus transegit. Accidit verò homini aliquot ab hinc annis mania species quædam Timonica, ut humanum omne genus evitaret, nulliusque contubernium ultra biduum, aut triduum ferre posset, quin etiam & colloquia ipsa studiosissimè declinabat. Cujus rei causam nonnulli arbitrantur, quod aureos nummos circiter quingentos infuerat toraci, metuque percussus, ne deriperetur, ultro omnes fugitabat. Vulgata autem res erat, & ubi primùm de torace suo mentionem fieri animadverterebat, arrepto statim itinere in alias, atque alias urbes commigrabat. Accidit verò, ut aurum id furriperetur, quo ille casu consternatus, efferatusque propemodum, à seque penitus alienatus, cum avertere à nummis cogitationem minimè posset, dolore, & ægitudine oppressus, miserabiliter defecit. Et quoniam oratio me ad Venetos transtulit, horum aliquot in hac urbe vobis omnibus ob ingenium, & doctrinam cognitissimos memorabo. Dominicus Sarratonius Venetus, non contemnenda in disciplinis omnibus eruditionis positiorum literarum facultatem sub M. Antonio Sabellico studiosissimè fuerat asssecutus, Philosophiæ operam dederat non indiligentem; Mathematicas autem omni conatu sibi vindicaverat. Erat insuper in homine mira morum suavitas, & jucundissimus rerum, & sermonum lepos. Hic tamen cum apud gentis Cornelie nobilitatem & otio, & sacerdotiis honestatus esset, cœpissetque ad locupletissimæ doctrinæ suæ fructus maturandos animum applicare, incumbente in universam Italiam contagione eâ, quæ superiori ætate, mortales longè plures abstulit, quàm continentia per tot annos bella sustulerint, eo ita correptus est morbo, ut animi statim abalienaretur, deque nummis, quos in mathematicam conjectos lacerto suspenderat, loculo in interiorem tunicam immisso, delirio nescio quæ fabricaretur, nullisque medicorum opibus adjuvari potuisset, Venetiis, non sine eruditorum omnium mæore, desideratus est. Multis verò ante annis Bartolomeum Leonicum, cognomento

Dominicus  
Sarratonius.

Fuscum, agnovisti, cujus ingenium, & absolutissimam eruditionem omnes admirabamur. Is cum Patavinum bellum, & totius regionis desolationem, incendiaque devastasset, Romæ aliquandiu fuit; sed, cum neque hic otium, quod sibi proposuerat, reperisset, in Cassinatam recessit sollicitudinem, factâ illi à loci illius monachis quiescendi copiâ: sed, dum hic sperat scripta sua luculentissima

Bartolomeus  
Leonicus.

fuit; sed, cum neque hic otium, quod sibi proposuerat, reperisset, in Cassinatam recessit sollicitudinem, factâ illi à loci illius monachis quiescendi copiâ: sed, dum hic sperat scripta sua luculentissima



tissima maturare, & immortalem sibi gloriam comparare, paucis postquam illuc secesserat diebus, rapidissima correptus febris, cum agrotasset gravissime, valetudinis ejus violentia sublatus est, futurus dubio procul Leonico Thomeo, germano fratri, non inferior, si fata eum diutius in vita esse voluissent. Patavinus etiam fuit Galeatius Facinus literis Græcis & Latinis optime eruditus. *Galeatius Facinus.* Novit enim hominem Romæ Hermolai Barbari contubernio nobilem, ejusque in re literaria laudum socium. Is posteaquam Hermolai clade, mox obitu miserabili tanto est præsidio destitutus, Bernardo Rubrio Bellunensi tunc, mox Tarvisino Præsuli adhaesit, vitæ apud eum Principem subsidia nactus, & liberaliter tractatus. Sed enim vix in Tarvisinum otium se contulerat, cum molestissima cœpit hydrope laborare, quo morbo menses aliquot consociatus nullo jam otii sui oblectamento percepto, magnam per ægritudinem vitam finivit.

Nicolaum autem Judecum domo Venetum nostras delicias Roma per tot annos coluit. *Nicolaus Judecus.* tuis, quam amavit. Meministi enim quanta in homine festivitas, quanta humanitas, quanta eruditio, quod rerum omnium judicium apparet, qui cum Medicus esset eruditissimus, prudentissimulque, disciplinarum tamen aliarum noticiam absolutissimam præ se ferebat. Hic post partum per tot labores peculium, militibus impiis fortunas omnes suas se comparasse conspexit. In Romanam enim incidit cladem, & post amissa bona, etiam tributis exhaustus est, quibus cum re familiari dissipata non sufficeret, ære alieno obætatus per menses aliquot vita per summam inopiam tracta, miserabiliter occubuit. Sed redeo jam ad nostros. Pomponium Latum ajunt, illum *Pomponius Latus.* inquam tanti nominis professorem, & emundæ vindicem Latinitatis post navatam per tot annos Romanæ Cathedræ operam, totque per universum terrarum orbem discipulos ad Eloquentiæ Romanæ puritatem propagandam dimissos, inopem ad extremum vitam traduxisse, oppressumque morbo, unde se aleret, & curaret, non habuisse, & in xenodochio susceptum extrema in egestate laborantem vita excessisse, periculumque adisse, ut insepultus jaceret, nisi amicorum impensis elatus esset. Quid autem vobis miserabilem Marci Antonii Casanovæ finem memorem? *M. Antonius Casanova.* cujus in Epigrammatis leporem, argutiasque, & elegantiam ætas nostra supra reliquos eo genere admirata est. Quamdiu autem Roma floruit, ipse quoque rerum penè omnium felicitate affluere visus est. Post Romæ occasum, sædissimamque direptionem ipse quamvis acerrimus Columnensis factionis sectator esset, pro qua potentissimorum Principum inimicitias in se contraxerat, calamitose tamen eo tempore, quo ea factio, Hispanis, Germanisque adscitis, in omnia Romanorum bona acerbissimam dominationem exercuit, nihil quicquam tale consequi potuit, ut à prædâ, & captivitate incolumis evaderet. Quin etiam in eam lapsus est egestatem, ut frustra panem etiam emendicaret; quo non invento, fame, tabeque, & omnium rerum incommodis affligus, expul- *Georgius Sauromanus.* rit; cuius rei scripta ejus non pauca, quæ in hominum manibus habentur, testimonium exhibent. Is quoque in Germanos suos Romæ prædatores illapsus, atrociter exceptus, expoliatusque bonis omnibus, cum nullum haberet, qui ejus inopiæ subveniret, contactus insuper pestilentia est; ut eo impeditus incommodo non potuerit sese ex eo incendio aliò profugiens liberare. Mendicabundus itaque, & morbo confectus, uno tectus lineo, eoque lacerò indumento, dum panem o-  
stiatim frustra flagitat, in viâ mediâ vi pestis, & famis impotentia exanimatus concidisse re-  
per-  
tus est.

Joannes verò Coricius cur non inter literatos reponatur, qui literatorum omnium tam situ *Joannes Coricius.* diosus fuit, ut in Romanâ aulâ ab Julio ad Clementem usque nemo unus eo lepidius, sincerius, & amabilius sit amplexatus, & ut quæ privatim commoda quotidie in unumquenque conferebat, prætereamus, universæ etiam academiæ, & omnibus, qui literarum nomine conferentur, geniales hortos suos ad Trajanum consecraverat, conventumque insuper, & quoddam rei literariæ certamen quotannis Divæ Annæ festo instituerat, longaque annorum serie celebrarat, quod tantum illi gratiæ conciliavit, ut nemo unquam Principum ætate nostrâ magis fuerit, quam unus Coricius literatorum omnium carminibus celebratus, veraque leporum omnium



omnium pater appellatus. Sed quò tandem evasit tanta in bonos omnes liberalitas? atque illa Coricii pietas, Poëtarum tot testimonio comprobata, totque eruditorum paginis decantata? Captus à barbaris urbe, ipse quoque à Germanis suis captivus factus, fortuna bonis solutus, gravique ære capite redempto, aureorum tamen vim quandam sub inferioris aula limine defoderat, fabro uno tantum conscio, qui cæmento locum obturaverat. Accidit autem, ut idem faber captivus factus pro se redimendo xxv. aureos à Coricio peteret mutuos, ille ne secretum proderet, quippe qui aliunde non habebat, unde eos expromeret, nisi ex defosso, perbellè negavit. Indignatus faber rem Hispano ductori, à quo in vinculis habebatur, prodit; ille in gades Coricii transmigrat, dumque hominem comparandis necessariis ablegat, aurum ipse domi de latebra eruit, qua re patefacta, cum rei indignitatem Coricius apud exercitus Principes exposlularetur, ab omnibus contemptus, elususque est. Hinc ad miserabilem redactus inopiam agrè Roma aufugit, & Veronam appulsus, ut inde rectè in Patriam commigraret, aris alieni gratià persolvendi, dum Calvsi Amadei ejus urbis Propræ fule liberalitate sustinetur, ibi in gravissimam incidit ægritudinem, qua confectus, & Romæ, & perditarum rerum desiderio exulceratus occubuit. Difertillimus autem omnium patronus Angelus Cæsius, quo non ardentem in agendis causis alium nostra vidit ætas, felicissimus & ipse haberi potuisset, tam ob divitias immensas, de patrociniis acquisite, quàm ob numerosam prolem bonè, honestè, sapienterque institutam. Paulo filio nata majore Senatoriâ purpurâ, pileoque dignato, reliquisque, prout uniuscujusque ætas, vel ingenium deposcebat, honoribus, & administrationibus honestatis, ut uno omnium ore gallinæ filius Albæ, Junoniusque pullus appellaretur. Hic autem tantâ felicitate vir, quàm horribiliter vitâ fuffus cedere! qui post directam Romam, & fortunas suas accisas, cum opem fide, & sponione suâ multis civibus attulisset, omnibus jam opibus exhaustus, gravissimis laboribus & incommodis defatigatus in atrocem incidit febrem; qua vexatus, dum in lectulo jaceret, ecce adsunt Hispani latrones, qui, moræ impatientes, promissum pro aliis auri pondus efflagitarent, stricisque mucronibus ad ita laborantem irumpentes, interminati cædem, nisi pecunias auctutum depromeret, ita hominem perterrefecerunt, ut non multo animi vir, linguâ potiùs, quàm manu promptus, eo terrore percussus, inter eorum minas horribili præ metu exanimatus, expiravit. Ajunt hominem, cum in acerbissimâ eâ rerum omnium calamitate, & inopiâ vitam suam deploraret, affirmasse Mathematicum quendam olim manum ejus, & genesim conspexisse, dixisseque eum in magna & egestate, & rerum omnium desperatione periturum. Se autem ad id usque tempus arbitratum, fieri quidem posse, ut aliquo rerum eventu omnia desperaret; quòd verò in inopiam eam, quam tunc extremam patiebatur, incurfurus unquam esset, ut crederet, adduci nunquam potuisse. Neque singuli tantum suos quisque manes passi, sed universa interdum Academia Romana in miserimas incidit calamitates. Nam cum eorum plerique, Principum abjectis curis assidue dicerept. Habeant sibi sua Regna Reges, sodaliciumque Romæ ex bonè literatis hominibus instituissent, statisque diebus ad eruditissimas canas convenirent. Ecce nescio qua de causâ delati unam omnes Pomponius, Callimachus, Poggius, Platina, & plerique alii conjecti in carcerem, quæstione de omnibus per cruciatus habitâ, pars diuturno carcere damnata, pars in exilium acta, pars ære gravi redempta, literatorum cladibus insignem eum annum effecit. Fuit & sub Hadriano VI. par bonarum omnium literarum infortunium. Nam cum is Leoni Decimo suffectus esset, ad quem utpote literatum Principem magnus literatorum numerus confluxerat, dum non minora de Hadriano sibi quisque pollicetur, ecce adest musarum, & eloquentiæ, totiusque nitoris hostis acerrimus, qui literatis omnibus, inimicitias minitaretur, quoniam ut ipse dicitabat, Terentiani essent, quos cum odisse, atque etiam persequi cepisset, voluntarium alii exilium, alias atque alias alii latebras quarentes, tandem latuere, quo ad Dei beneficio altero Imperii anno decessit, qui si aliquanto diutius vixisset, Gettica illa tempora adversus bonas literas videbatur fuscitaturus. Finem Petrofancius fecisse videbatur, quia is expurgata, absterfaque nasi pituitâ sermonem ulterius non proterebat, cum excepit Cursus. Cur obsecro viri optimè literati Bernardini Capellæ oblii estis. An non is inter Academia Romæ literatissimos, tacundissimosque Oratores reponendus, quem orantem toties

Angelus Cæsius.

Academia Romana.

Bernardinus Capella.

stipendium



Rupere rostra? An forte is unus vobis felix videtur, quia in Romanam non incidit calamitatem, aliquot ante mensibus morte præventus, passus tamen suos ille quoque manes, ut Petrosanctii dictum usurpem, qui juventutem omnem per maximam inopiam traduxit; grandiori demum ætate Divi Petri canonicus Sacerdos factus, cruciabili mox podagra cœpit laborare, ut neque inde sibi, neque amicis usui esse posset, eoque malè habitus incommodo per plures annos, ab ejusmodi demum doloribus interemptus est. Optimè literatus fuit etiam Cornelius Benignus Viterbiensis, neque ipse prosperâ fati fortunâ usus: postea enim quàm Augustinum Gysium Senensem, Mæcenatem suum, apud quem in honore fuerat, amisit, vitam inde nullo solatio egit. Cui hoc in grandiori ætate accidit infortunium, ut clarissimæ famina amore corriperetur; qua vexatus cura, in eam incidit ægritudinem, ut nihil aliud, quàm mulierem eam meditaretur; atque ita demum confectus ardentissima in febris, super ea semper & loquendo, & rogitando, decessit. Sed nolo ego multos commemorare, qui videam paucissimos omnino esse, quorum non memineritis; indignissimam tantum unius adolescentis mortem, cujus animo meo dolor altius insedit, vestris his literarum calamitatibus adnumerabo. Nostis enim omnes Joannem Baptistam Roborem, Bartolomei Grossi Saonenis viri filium, dignum quidem, patrii qui lætior esset imperiis, & cui pater haud Mezentius esset. Is quidem incomparabilis ingeni, & probitatis adolescens, meus primùm discipulus, mox & Pierii Valeriani nostri auditor, tantum profecerat, ut & eleganter, & acriter declamaret, & versus non illepidos faceret. Ad Philosophiam mox, & Mathematicas, studium omne suum contulerat, cum pater inexplebilis avaritiæ gurgis, disciplinas has aspernatus, & ut inutiles detestatus, cum plerisque alios haberet filios, usum hunc tantæ in literarum studiis spei ad mercaturam retrahere conatus, invitum ad ephemeridas impulerat; cum tamen ille clam & bonarum artium studiis incumberet, & invito patre proficeret. Accidit ut Leonardus sacerdos Cardinalis Agenensis, Bartolomei ipsius germanus frater, non ignarus ingenii, quo præditus erat adolescens, subvenire illi, & necessaria subministrare desinaret, mercatufque munus Pontificias literas scribundi, id in eum collaturus erat. Simul id olfecit pater, fratrem aggreditur, quò eat perditum adolescentem increpat, qui tali auctus peculio, sit omnia in sophistas erogaturus; pervicitque, ut Leonardus, qui præter aliquam legum memoriam parum ulterius sapiebat, avarissimo fratri fidem adhibens, in eum munus id diverterit, Qua spe dejectus infelicissimus adolescens tanta patris duritiâ offensus, abjecta omni proficiendi spe, uxore nobilissima, egregiæ formæ, ætatis floridæ, incorruptissimæ pudicitia, & amoris in maritum incomparabilis, cum filiola, quam nuper ex eâ susceperat, derelictis, in militiam ad Venetos proficiscitur. Et haud ita multò post ex otiosa vita in laboriosissimam repentinâ mutatione transgressus, tam ob insolitas exercitationes, quas non ignaviter obiit, quàm ob edacissimas curas, & ægritudinem ex rerum necessariorum egestate in lethalem incidit morbum. Neque sic motus pater, ut in extrema inopiâ probatissimo filio subveniret, supplicanti- bus amicis, & consanguineis omnibus, ne tantæ probitatis filium perire sineret. Joan. Baptista demum vix tertium & vigesimum egressus annum, Afulæ vitam finiit infelicissimam, non aliam ob causam ab immanissimo patre destitutus, abjectus, & propemodum exheredatus, nisi quia literarum studiis, & in omni virtutum genere erudiri concupierat. Erat verò Bartolomeus is postremæ adeò tenacitatis, ut miserrima omnes domi fame maceraret, quò incommodo vexati etiam filii reliqui tam pueri, quàm adolescentes, [coacti vocationes] in triviis quæritare, & à clientibus cibum emendicare, eò omnes prolapsi, ut ex inediâ domi, & voracitate foris, duorum vix annorum spatio quinque numero, ad optimam omnes frugem, nisi pater obsitisset, perventuri immatura morte præventi domum reliquerint solitariam. Quin proximis hisce diebus unus tantum illi reliquus erat filius, quem nobilissima famina matrimonio copularat, neque tamen tam locuples, tamque nummatus pater, tantillum de patrimonio conjugibus, in quibus omnis posteritatis suæ spes incumbebat, utendum permittebat, quantum ad victum, & vestitum, neque tamen nimium, sufficeret; ita hic quoque, cum extremam patris duritiam ferre non posset, Saonâ digressus, ubi cum patre habitabat, Romam abiit, necessaria sibi per aliquam industriam comparaturus: vixque vigesimo postquam huc appulerat die, Roma à barbaris capta, direpta, incensaque fuit, ipseque in eâ depopulatione

Cornelius  
Benignus.Jo. Bapti-  
sta Robo-  
reus.



pulatione desideratus, ingentes illas divitias patri custodiendas dereliquit. Non reticebo incomparabile feritatis exemplum, cum post quinque ferè continuata filiorum funera Bartolomeus Camillam egregiæ bonitatis uxorem, scires faminam ex Carretâ familiâ natam, de filiorum orbitate insolabiliter sese deplorantem consolari vellet, dixisse eum: Quin tu potiùs Diis gratias agis, qui divitias opulentissimas, quas filii tot luxuriosè abliguriti fuerant, solis nobis reliquerint petruendas. Neque illud de homine prætereundum. Cùm Hieronymus Donatus, quo tempore hic Venetæ Reip. Legatus erat, instaret perquàm diligenti commendatione, ut eâ, qua apud Julium Pontificem egregiè valebat gratiâ, Bartolomeus inopia Pierii, præceptoris liberorum ejus grandiorum subveniret; respondisse eum, desiderare se hominis eruditissimi prudentiam, qui de se talia conquiret, neque videret Deum injustum fore, si uni omnia conferret, rem scilicet, & virtutem. Eâ enim locutione ille literas intelligebat. Pierius inquit, vester disciplinas appetit, eas consecutus est, improbus esset, si rem etiam affectaret. Quando divitias his tantum tribuere debet Deus, qui nullo virtutis adminiculo suffulti, nisi rerum ope sustentarentur, faciliè corruerent. Eo tamen absente, cùm filii sacerdotium in Divi Petri Basilicâ præceptoris procurassent, quàm primum pater è peregrinatione, qua Julium Bononiam, Ravennamque secutus fuerat, rediit, gnatos numquam malè habere desistit, exilium iis, exheredationem, & extremam patris detestationem interminatus, donec, quod in actis Romani fori constat, sacerdotio illi Pierius abjurare cogereetur. Causam verò eam filios instituendo subiciebat summæ rusticitatis homo, Clientes si quos frugi habeas, in spe, & egestate continendos, ne, cùm fuerint per liberalitatem tuam egera vetit, eorum mox officia desideres. Finem hic fecerat Cursius, interquiescebatque omnium sermo, dum alii juvenis infelicissimi casum indignissimum miserantur, alii patris immanitatem tacitis conviciis lacerant. Cùm Melinus ad Granam, & Colotium conversus ait. Multa quidem exempla literatorum infelicia recitastis, sed obsecro cur eos tantum calamitosa existimatis, quia vita ceserint sine haud satis auspiciato, cùm longè miseriore plerique sint, propterea quod vivunt, quique fatum illud quaecunque mortuis invident, eorumque potiorem sortem æstimant, quòd cruciari jam desierunt, cùm literatorum conditio omnis, quoquo te verteris, eò redacta sit, ut nihil tam lætabile usquam supersit, ita universus terrarum orbis ad arma, ad rapinas, ad incendia concitatus est, ut locus jam non nisi perfidis, & latronibus superesse videatur. COLOT. Mecum sentis Meline, qui dicitare non desino nihil homine literato, qui nunc vivat, infelicius. Nam extinctos hos, quos infelices appellavimus, non modò non infelices, sed etiam beatissimos heri Contareus esse comprobavit; sed quin ego, quin Lælius, quin noster Pimpinellus, quin Cursius miseri esse persuasum habeamus, & revera sumus, non Contareus, non Plato, non Socrates, non Epictetus ipse nobis unquam persuadere poterit. MELIN. Video quàm vastum pelagus ingressuri sumus, si vivos recensere aggrediamur, quod quidem nequaquam sine magnorum hominum invidiâ fieri potest: quare navigium potiùs inhibeamus, & ad sermonem nostrum revertamur, idque primum omnium nunc à te peto mi Coloti, ut qua ratione Contareus tam ærumnosos viros felices esse dixerit, exponas; quod si mihi quoque persuaseris, vide quantum profecturus sim, qui dulcissimorum duorum fratrum Hieronymi, & Celsi, obitum immaturum lamentari tandem desinam. Scis enim, quanto indies magis eorum afficiar desiderio, neque tam longo temporis intervallo jacturæ hujus memoria deleri potest. COLOT. Dicam, mi Petre. Meministi quæ Pollio dixerat, nihil se putare infelicius, quàm scire literas. Eandem ille sententiam sæpè repetiverat, ut jam non joco hæc dicitare, sed ita prorsus sentire videretur. Non passus Contareus tantâ probitate virum, tamque amicum in errore versari. Non rectè, inquit, ut mihi videtur, hæc interpretaris Pollio, qui revera putes literatos homines eâ de causâ calamitosos esse, quòd, uti hodie patuit, tam multi in ærumnis, & incommodis vitam egerint insuavem. Ad hæc subiecit POLLIO. Quanam igitur de causâ ærumnosum quempiam existimabimus, si calamitates hominem non intortunt? CONT. Atqui asseverare ausim, neque calamitates quidem ipsas jus ullum in literatos sibi vindicare, POLL. Literati tamen, maxime omnium uti passim videmus queruli, vi-



ces ferè omnes deplorant suas, non hoc utique facturi, si nulla possint injuriâ labefactari, aut, quod maximè indignum est dictu, literatos ut injustos, cogemur accusare. CONT. Neque quidem velim hanc iis notam inuras. Injustitia enim imperitorum propria est. POLLIO. Quid? omnes igitur decipiunt, qui, quod opinamur esse malum, libentissimè declinamus: quod bonum, & commodum, studiosius appetimus? CONT. De bonis, & malis alia est consideratio. Sed utrum, quæ consensu omnium mala dicuntur, tanti esse possint, ut literatum quempiam ita evertant, non ulla cum inde res ad æquitatem animi possit extollere, & in magna quantumlibet mœstitiâ, & rerum omnium desperatione nullus sit levationi locus, id hodie queritamus. POLLIO. Si quis hoc ex me querat, responsum ego faciam cum Terentio: Facile quidem nos cum valemus, recta consilia ægrotis damus. CONTAR. At si ratio ea sit, quam negare nemo possit, nonne literatum potius rationi pariturum, quam impurum aliquem, & imperitum opinaberis? POLLIO. Sanè quidem, CONTAR. At obsecro videamus, ne Platonis nostri præcepta transgrediamur, priusquam de re dicere incipiamus, quibus terminis infelicitatem ipsam circumscribas. An id ex doctorum, atque adeo sapientium sententiâ, an ex vulgi opinione, an potius eorum judicio, qui se ita affectos deponent. Multa siquidem eruditus viris infelicia existimantur, quæ imperiti omni anteponunt beatitudini, multa damnant, & ludibrio habent imperiti, quæ sapientes vel non mala existimant, vel etiam ad tranquillitatem animi facere prædicant. Ipsimet demum nostrum, de nobis, deque rerum nostrarum judicio fallimur, neque veram plerumque rationem internoscimus, per quam ad infelicitatis declinanda incommoda iter aggrediamur. Ita sumus omnes, quid petamus nescii, ut assertoris nostri dictum interim usurpemus. An non dicere solent magnæ sapientiæ viri, cum nos armant fortitudine: Quæcumque vel sunt, vel accidere possunt, vel tua sunt, vel alieni juris? Tua est voluntas sola, reliqua omnia aliena, honores quippe, divitiæ, valetudo, fama, lucrum, & alia quæ mortalium mentes assidue sollicitas habent. Quæ igitur aliena sunt, nihil ad te, non enim in potestate tuâ sunt, sed vel apud Deum, vel apud homines habentur, qui si quid eorum, quæ concupieris, invideant tibi, vel quæ possidere arbitraris, adimant, tuum est sive velis dolere, sive nolis. Atqui dolere velle de iis quæ in aliena sunt potestate, sibi met inferre est injuriâ; non igitur infelix, nisi qui se infelicem esse vult, & quæ plurima in hanc sententiam disputat Epictetus. COLOI. Argutè quidem, ut soles, rem ad Peripateticos traduxisti, qui velis de locutione simplici, & in omnium ore uno acceptâ significato, plures perquirere significantias. Sed me fortè non capis, Contarene, qui putes me hodie sermonem hunc auspicari voluisse, ut utrum literati, quos memoravi, verè, nec ne habendi sint infelices, disputarem. Quare quoniam quæstione propositâ, quasi ad utrumque, vel in utrumque, paratus es dicere, novi enim ingenii tui acumen, & promptitudinem, quæris quo ego termino infelicitatem includam; non dubitabo, rem à multis in diversum distractam, uno nodo colligare, idque infelicitatis nomine circumscribere. quod cuique aut præter spem, aut præter votum, aut præter dignitatem acciderit. Neque velim eò me compellas, ut si quid horum cuiquam acciderit, eâ de causâ Cajo non ad infelicitatem adscribi debere quia Sempronio id bene cesserit, aut is tale quid susque deque fecerit. Esto igitur, qua de agitur, infelicitas vitæ, ut uno omnia verbo colligam, Miseria. Eâ enim locutione eorum omnium vitam complecti videmur, qui vel suo, vel aliorum judicio, eam fortem sortiti sunt, quam miseri debemus, sive nos iis meliora cupierimus, sive forte illi suâ minus contenti, vel æqui fuerint. Sed, ut omnem scrupulum eximam, dispescitur hæc causâ certis capitibus, quorum illa præcipua, dum loqueremur, fuisse mihi visa sunt. Infelices enim dicebamus, aut si vocabulum alterum magis placet, miseros eos accipiebamus, & intelligebamus, qui meritis honoribus, defraudati essent, qui gravibus, aut longis morbis afflictati, qui bonis spoliati suis, qui captivi perierunt, qui egestate oppressi inopem traduxere vitam, qui de spe deciderunt, qui sibi mortem conscivere, qui ab aliis trucidati fuerint, quorum fama notâ aliquâ insigniori contaminata est. Hæc sive contemnunt, sive patienter ferant viri, utcunque ingruerint, felicitatis cursum inturbare existimantur, & quam studiosi omnes affectant, tranquillam illam otii quietem contaminare. Neminem enim ego tanta præditum prudentiâ, tantave corroboratum sapientiâ perspexi, ut hu-



mana vita incommodis, quotiescunque ingruissent, non affligeretur, contra secundis non exultaret. Marcus Tullius multa quidem præclare, & egregie de patientiâ, de contemptu adversæ fortunæ disputare noverat. Exilium tamen illud suum ubique diutissime deplorat, & sui temporis calamitate lamentanda mollis, & propemodum effaminatus apparet. Ulysses, qui ab Homero pro exemplari virtutis, & sapientiæ proponitur, toties itineris sui difficultates, variâque varias acerbissima querimoniâ deflet. Æneas quo non fortior, neque constantior alter à Marone describitur, sæpè tamen altum corde dolorem premit, sæpè idem irarum fluctuat æstu, & humanæ conditionis incommoda humano more conspicitur ingemiscere. Quare non humanis moveri casibus, ferini ego ingenii, imò saxei, & omni sensu carentis esse judicari. Hæc cum dixissem, & ridibundo fateor vultu omnes in faciem intuerer, utrum quæ dixeram, approbarentur, necne scilicet expectans, factus enim eram hac dictione gloriosior, Contareus sic excepit. Atqui mi Coloti, neque ego. neque eorum quisquam qui *αὐτὸν ἔδωκεν* differerunt, calamitates eo ponunt gradu, ut sint ab hominibus appetendæ, eas tamen, cum ingruerint, aliis exitiosas, aliis non admodum graves esse dicimus, etiamsi pari linea exaquantur. Sed unum vobis afferam exemplum vitæ in omni, diuturnoque labore tranquillissimæ Urbanum Valerianum Bellunensem, Minoritanum sacerdotem, quem nos ferè omnes, quotquot Venetis proficimus, non tam literarum Græcarum præceptorem habuimus, sed & tranquillæ hujus vitæ rarissimum exemplum, quo admoneamur in manu nostrâ positum, utrum laboribus, & aliis incommodis morere, an delectari velimus. Si quis enim perigrinationem omnem & miseram, & ignobilem esse dixerit, quàm miser hic toto vitæ cursu fuisset, qui, ut literas eas, quas postmodum ad extremam usque diem docuit, per universum ferè terrarum orbem quasitas. longis, & laboriosis ad nos peregrinationibus reportavit. Non ille Ægyptum, non Palaistinam, non Arabiam, & Synam, quas non vel pedes inviseret, dereliquit: totam peragravit terram Græciam, Siciliam perlustravit, Æthnam ita difficilem, periculosamque montem, incendiis causis exploraturus, bis ascendit, deque supremo crateris labro totum cavernæ cavum inspectavit. Constantinopolim, & universam Thraciam invisit, Mæcenatem suum Andream Grætum, pro pace Oratorem à Senatu Veneto, missum, secutus. Tantum verò abluvit, ut ille calamitosas peregrinationes existimaret, ut senio jam gravis voluntariâ singulis annis exercitatione Provinciam modò hanc, modò illam inviseret, constitutum habuerit: neque unquam invecus equo, nisi per aliquot passuum millia, eo anno, quo ad osculandos discipuli olim sui Leonis Decimi, novi Pontificis, pedes, huc advenit, quo quidem in itinere nullum se passum incommodum dicebat, nisi quòd equo invecus est per saxosam Æssilii viam. Quos igitur alius quispiam itinerum labores in calamitatum genere collocaret, hic inter oblectamentorum suorum species enumerabat. Paupertas autem cui non invisâ, cui non damnata servitus? Quis verò Urbano pauperior unquam fuit; qui nullum unquam trientem in usum proprium reposuerit, quine de laboribus quidem, quos docendo subibat, minervale unquam ullum à discipulis poposcerit, oblatum verò accipere recusat, nisi magnâ de causâ cogere, quod & rarò & perparcè faciebat. De servitute verò quid dicam, cum à puero sacris illis initiatus, neque somnum, neque cibum arbitrio unquam suo cepit, neque tamen vel tantillum ullo unquam tempore id ægre ferre visus fuerit, vitæ eâ contentus, quam semel elegisset. Quis verò tam fortis animi est, ut honores aspernetur, qui non imperare potius aliis, quàm obtemperare concupiscat? At Urbanus summa semper humilitate delectatus, licet Alexandri Pontif. Max. tempore Sansonis antistitis sui impulsu ad honores invitaretur, & à Leone Decimo nihil non impetrare potuisset, maximi beneficii loco à Principibus potestatis solitus est, ut se in sui ordinis paupertate esse sineret. Neque unquam adduci potuit, nisi per assiduas exostulationes, quas Petrus Lucignanensis ejus Cænobii Præfectus, in quo supra quadraginta annos vicitaverat, quotidie obsecrando ingerebat, ut ejus loci curam suscipere dignaretur, venerabilis tandem senis precibus expugnatus, qui dignitate sponte desedebat obstatem jam decrepitam, & ad hujusmodi curam minus idoneam, non quasi imperium is acciperet, sed quasi jugum subiret, Antistes loco factus est. Verùm ubi Petrus humanis cessit, nihil contatus

Urbanus

Urbanus  
Bolzanus  
Bellunensis.



Urbanus alterum sibi suffecit, seque in ordinem redegit. Horatianum illud identidem repetens.

*Qui simul aspexit, quantum dimissa petitis  
Præsent, maturè redeat, repetatque relicta.*

Hunc quispiam igitur aut miserum, aut infelicem appellet, quia laboriosam semper vitam egerit, quia pauper, quia inhonoratus vixerit, cum omnem ille felicitatis suæ summam in assiduis laboribus, in paupertate, in privatæ vitæ humilitate collocarit. Senectutis autem incommoda, quam non modo patienter, sed etiam hilariter tulit, seu necessaria subministrarentur, seu deessent multa, quod plerumque accidebat, æquè contentus ad incommoda omnia adridebat. Quin & moriens vultu ridibundo, verbisque jucundis, quasi placidissimo somno se dederet, occubuit, quartum circiter & octogesimum natus annum, Pontificatus Clementis Septimi anno primo, inoffensâ per tot labores valetudine semper usus; nisi quòd superioribus annis, dum hortulî sui arbores ipsemet reconcinnabat, fallente scalarum lubricitate corruerat, & crure aliquantulum læso, ad longinquas illas peregrinationes non ampliùs idoneus fuit. Is igitur felix in tenui re, in laboribus, in longa senectute, quam plerique morbi vocabulo nuncuparunt, felix inquam fuit, quia felix esse voluit, qui non morosus, non difficilis, non multivolus fuit, & paucis, minimisque rebus contentus, eorum irridebat cupiditatem, qui vitam miseram ideò agunt, quia miseri esse volunt; quòd si eos fortunæ rivus inauraret, aliquid adhuc, quòd assidue quererentur, excoGITarent. Atque hæc de voluntate nostra dicta sufficiant. Quòd verò in aliena potestate situm est, cui natura ipsa subjacere cogitur, neque non incommodum negare non potest: occidi quippe, vulnerari, infamem traduci, excruciarî morbis, spe falli, suo fraudâ si premio, tam sunt unicuique hominî propria, ut ad hujusmodi clades, & ignominias natum humanum genus omne videatur. Communis hæc calamitas, neque literatis tantum, sed & imperitis, & obscuris, & nobilibus æquè distributa. Sic Reges, sic Sellularii, sua quisque sorte aliquo affliguntur tempore. Quòd si quis literatos immunes ab iis cladibus esse cupiat, aut indignum clamet, eos talia pati indignum etiam dicat eos humanos fuisse, si humanæ eos subjacere conditioni nolit. Quare bone vir Coloti, cum de literatorum infelicitate dictionem proposuisti, eo mihi errare vitus es, quòd non potiùs de humani generis calamitatibus dicturum te nos admonueris. Tam enim fieri posse puto, ut quisquam, dum vivit, aliquo non angatur incommodo, quam si quis operam det, ne flumina deorsum fluant, aut sursum ignis feratur. Quare desiste jam infelicem literatorum sortem lamentari, & iis potiùs gratulare, qui non ut reliqui sunt fortunæ penitus emancipati, multaque habeant sua, quæ nullâ possint illius injuriâ proruere. De iis enim loquor, qui viam sibi ad immortalitatem per ingenuos labores suos aperuerunt; qui vitam non modo iis, quos coluerint, & celebres esse voluerint, comparare potuere sempiternam, sed imprimis duraturum sibi monumentum immortalitatis excitare. Quòdque Deus ipse, Deus inquam solus præstare fertur, ipsi ingenio suo freti, Dei tamen affatu adjuti, valeant omnem invidi temporis edacitatem superare. Hinc meritò exultat Flaccus noster, cum suæ sibi conscius virtutis, ita emodulatur:

*Exegi monumentum ære perennius,  
Regalique situ Pyramidum altius:  
Quod non imber edax, non Aquilo impotens  
Possit diruere, aut innumabilis  
Annorum series, & fuga temporum.  
Non omnis moriar, multaque pars meæ  
Vimbi Libitinam. Usque ego postera  
Crescam laude recens;*

& quæ sequuntur. Gloriosè quidem, sed quæ sita ex meritis superbiâ. Ita & Naso in Octaviani Caesaris invidiam exilium consolatur suum; Pierio cum concitus ætro clamat:

*Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,  
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.*



*Cum volet illa dies, quæ nil nisi corporis hujus  
Jus habet incerti spatium mihi finiat ævi.  
Parte tamen meliore mei super alta perennis  
Astra ferar, nomenq; erit indelebile nostrum:  
Quaque patet domitiæ Romana potentia terris,  
Ore legar populi, perque omnia secula famâ,  
Si quid habent veri vatum præfagia, vivam.*

Ita Propertius se antiquis inserit scriptoribus, cum post eorum nomenclaturam ait:  
*Cynthia quin etiam versu memorata Propertii,  
Hos inter si me ponere fama volet.*

Ita reliqui omnes tantam de futura hujusmodi immortalitate dulcedinem concepere, ut neque labores, neque damna, non incendia, non graves ruinas pili facere visi sint. Hinc est, quod dum majoris cujusdam emolumenti rationem habent, humana hæc quodammodo despexerint; aliique ideo minus cauti ad evitanda fortunæ tela, quia fortunam nihili penderint, cui, uti facili-  
tare solitus Diogenes ipse, minaci mandarint laqueum, mediumque unguem ostenderint. Alii minus ad rem faciendam vel idonei, vel diligentes, quia virtutes auro magis æstimarint, eruditione, & sapientiâ cuncta esse minora putaverint. In ignobilitate alii jacuerint, quia vel conditionem Regum suâ duxerint inferiorem. Quo enim quisquam velit, qui sana mente sit, nosces atque dies niti perstante labore ad summas emergere opes, rerumque potiri? si quam brevis ævi sit, meminerit. Nam qui hæc mirantur, inviti etiam ponunt, & eò svavius unusquisque vita decedit, quo magis humana hæc imbecillia cognorit. Quare nunquam ego Hermolaum infelicem dixero, quod pestilentia sublatus sit, quod exul, egensque aliquandiu vixerit, quod ubi cadaver, ejus delitescat, ignoretur. Si doctissima ejus hominis scripsit studiosorum omnium manibus versantur: vivit potius Hermolaus, vivetque felicissimus cum æterna Plinii, Themistii, & Dioscoridis fama, quod maxima ejus pars, ut nuper Horatius exultabat, Libitinam evitavit. Vivet Marosticus noster nulla mortalitatis peste labefactatus, dum bonarum literarum studium aliquod permanebit; non enim ulla unquam tabe corruptetur illa Veneti nominis ingeniosa defensio, quam adversus Marium Volateranum, ejus Reip. vituperatorem, tanta dicendi felicitate conscripsit. Vivet ejus encomium ad Leonem Decimum, in quo non eloquentiam tantum, & artem, verum & summam prudentiam, atque animi sui bonitatem ostentavit. Felix Carbo, felix Gravinna, qui tantâ ingenii ubertate scriptis suis immortalem gloriam sibi compararunt. Neque virum doctrinâ summum Christophorum Marcellum quisquam ærumnosum dicat, dum vitâ ejus, per summam innocentiam peracta, in omnium memoriâ erit; dum homo sciendi cupidus sese intus, & extra voluerit explorare; dum erit inter homines pietas, & rerum omnium arcanarum doctrina conquiretur. Augusti Valdi scripta fortè perierunt, sed ejus memoriâ doctissimorum, & eloquentium hominum testimonio celebrata, eum nequaquam ignobilem, aut calamitosum patietur. Neque obscurus erit Fabius Ravenas, dum bonæ valetudinis inter mortales cura, studiumque, Hypocratesque ipse permanebit; non M. Antonius Sabellicus, non Camillus Portius, non Janus Parrhasius, non Paleotus, non Carteromachus, & plerique alii, quos diuturnâ valetudine affligatos commemoratum est, ærumnosi nunquam mihi futuri sunt, dum eorum historiarum, eorum carmina, commentaria, orationesque tanto omnium studio, & admiratione læscitantur. Perierit incognitâ morte Flaminius, erepti inopino casu sint Georgius Valla, Andreas Mongajus, & plerique alii, scripta eorum tamen vivent, & in omnium doctorum animis perennabunt. Abstulerit ægritudo Musurum Beroaldum, Maronem, Gazam, Oricellarium, & quos nominatis viros magno numero liberatos, superabit tamen eorum nomen, & cum sua virtute clari, tum eruditissimorum tot discipulorum pietate nunquam intermorientur. Desideratus ante diem sit Picus Mirandulanus, Paulus Decanalis, M. Antonius Turranius, Fuscus Cotta, Furnius Celsus, atque Longolius, iidem ante diem beatissimam sibi immortalitatis gloriam pepererunt. At



At sibi met conscivere manus M. Caballus, Laurentianus Fortunius, Priulus, & plerique alii aliqua igitur urgentissima sese molestia liberarunt, Caballum tamen ingenium argutissimum, Laurentianum eruditio luculenta, Fortunium dicendi lepos, abditorum cognitio Priulum aternitati commendabunt. Extant ejus juvenis tabulae ad caeli Veneti normam castigatissime directae; extant argutissimae quaestiones de orbium caelestium numero, de planetarum situ, de epicyclis, quid illud tandem sit, quod ad hanc usque diem doctorum omnium ingenia fatigavit. At trucidati sunt Hercules Stroza, Paulus Bombasius, Mutius Arelus, totque alii clari literatura viri, trucidati Reges tot, Imperatores tot, totaque Divorum nostrorum curia hujusmodi est eventibus repleta; neque tamen eorum quemquam infelicem arbitramur, cum ipsemet felicitatem suo quisque, longe tamen alio, quam vulgi sit opinio, termino descriperint. Hos ergo inquam nunquam miseros, aut calamitosos dixerō, qui felicitate ingenii, honestisque laboribus, & assiduis vigiliis id consecuti sint, id vitae suae praesidium compararint, quod neque fortunae temeritas, neque ulla inimicorum injura labefaceret. Salvere igitur Phœbi sacerdotēs, Musarum alumni, qui divinum ingenium potius, quam mortale corpus colere studuistis; vestris nos manibus, dum in humanis erimus, semper bene precabimur, & industriam vestram, quod facere poterimus, interire nunquam permittemus. Hæc sunt mi Petre, quæ Contrarenus suo illo erga literatos & ingenio præstantes viros, ardore concitus, nobis nudius tertius disseruerat; ad quæ Grana quædam hodie repetiturus erat, non ut illam Contareni sententiam sapientissime latam infirmare sibi proposuerit, sed ut affluentiori hominis facundiam, prudentiaque perfrueretur. MELINUS. Sapienter quidem omnia Contarenius, neque ego spe fallebar, qui tanto studio audire hæc expegebam; quare vobis immortales habeo gratias, qui me tanti colloquii participem fecistis. Scio enim quantum hæc me delectarit oratio, & præter voluptatem, quæ quidem summa omnino fuit, quem usum etiam inde sim percepturus. Sed unum, etiam si rectè memini, addebat mihi vesperi Pollio, accepisse se à Contareno, de accersendo in Italiam Cæsare consilium à Pontifice initum fuisse, id quorsum tendat, multa me faciunt ambigere. COLOTIUS. Hoc mihi mente exciderat, quia nihil ad rem, qua de loquebamur, faciebat. Sed si eum etiam sermonem audire vis, libens referam; ad me enim totus convertebatur, qui non aliam de causâ desperatissimam quæque de literis mihi proposueram, nisi quis me tuerem miserrimi hujus temporis statum propagari, Romanamque rem debilitatem jam propè, & extinctam existimabam: quem ne inconsolatum relinqueret Contarenius, verba mea excipiens, & temporis hujus ratione habitâ, quo ita perturbabamur, quod proximis hæc diebus tum maxime timuimus omnes, cum falsus ille rumor de summi Pontificis obitu divulgatus est, & tumultuosiora quædam passim divulgata. Quid enim non undecunque miserrimum expectandum erat, aiebat Contarenius, Republicâ in his perturbationibus jacente, in magna gladiatorum licentia, atque impunitate? Quod si probatissimi Pontificis mors accidisset, mirum de totius Italiæ statu actum erat; multaque intolerabilia locis omnibus accidissent. Sed te jam hoc metu libero Coloti. Heri enim Pontificem hæc oculis vidi, in quo omnia bonæ valetudinis adventantis signa perspexi, & quod indubitatum mihi salutis spem polliceri videbatur, ipsemet suo de se testimonio bene sperare incipit, quod minime diebus superioribus faciebat. Quo quidem servato, non est, ut mali quicquam amplius vereamur. Quod verò bellum teterrimum, periculosissimumque formidas; necesse est Clementis consilia tibi patefaciam; qui Cæsarem in Italiam accersere decrevit, ut coram quanti sit Christianæ Reip. concordia disputet, & quid ad summam ejus Principis gloriam faciat, ostendat. Atque ego quidem, qui superioribus annis apud ipsum Cæsarem Reipublicæ nostræ nomine Legatus fui, facile perspexi in ipso Carolo summam, & egregiam quandam bonitatem, mentemque in eo alienissimam ab iis rebus, quas legiones ejus ausu licentioso in Italiâ perpetrarunt. Velim itaque Coloti de quiete Italiæ, atque adeo de bonorum omnium tranquillitate bene sperare incipias, & ubi intellexeris Cæsarem in Italiam iter parasse, ad quem invitandum Pontifex unum ex intimis

suis



80  
*Joannis Pierii Valeriani, de Literatorum infelicitate, Lib. II.*  
suis jam mittere destinavit, compositas res nostras tibi proponas. Eò enim omne Pontificis studium, cura, meditatioque contendit, ut finis tandem aliquis nostris calamitatibus imponatur, & militum hæc ferocia, quæ hæcenus tam in socios, quam in hostes grassata est, in nostræ pietatis hostes convertatur. Habes itaque Meline de Cæsare quid Contarenus sit pollicitus, & quoniam hora jam inclinat, satisque tibi factum à nobis est, potes sine ullâ invidiâ nos dimittere. MELINUS. Mihi quidem maxime factum satis, quo nomine vobis debeo plurimum. Sed si apud me insuper cænaveritis, magno hoc addam superpondio. GRANA. Non sumus hæc vespera tecum neque ego, neque Colotius, cænaturi; paratum enim nobis est in Palatinis hortis apud Pollionem, ut inde ad Pontificem nostrâ de re locuturi ascendamus, ea enim est hora nobis dicta. MELLINUS. Didici ego ex Pierio usitatissimum ejus dictum; Cave ne vel prodesse cupiens importunus amico sis. Quare ibitis, quando vestra ita res postulat, Pierius hospes meus est, neque inviti remanebunt Petrosanctius, Cursius, & Cathaneus, qui mecum amicum Romano cælo redonatum gravisuri sunt. Ita discesum à duobus, nos quatuor apud Melinum mansimus.

F I N I S.



JOAN.